IX

(19

IOHANNIS MUSAEI,

DOCTORIS THEOLOGI ET PROFESSORIS IN ACAD. IENENSI QUONDAM CELEBERRIMI,

COMMENTATIO DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE, IN CAP. XVIII. LEVITICI.

Oder:


Von der Bluts-Freundschafft und Schwägerschafft.

EX RECENSIONE


IMMANUELIS PROELEI,

ET CUM EIUS PRAEFATIONE DE

FUNDAMENTIS DISPENSATIONUM IN CAUSA MATRIMONIALI.



IENAE, APUD IO. FRIDERICUM RITTERUM,
M DCC XXXIV.



LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
IMMANVEL PROELEVS.

§. I.



Es matrimoniales, in quas Princeps & magiſtratus civilis diſpenſationum jura exercet, fori ſunt mixti, & apud Chriſtianos non ſolum ſecundum leges naturales & hinc deductas civiles & politicas, verum etiam juxta leges divinas & ad ſcripturæ ſacræ normam ſunt ordinandæ. Antequam ergo de fundamentis diſſeramus, ex quibus conſtet quomodo diſpenſatio circa matrimonialia in foro humano locum obtineat, conſultum eſt nonnulla præmittere, de *conjugii natura*, quod ſecundum ſcripturæ ſacræ præſcriptum contrahitur. Deinde quædam etiam præfabimur de *diſpenſationum* natura & indole, ut his explicatis tanto facilius fundamenta diſpenſationum in rebus matrimonialibus intelligantur.

§. II.

Quoniam actiones humanæ honeſtæ aut inhoneſtæ, juſtæ aut injuſtæ dici aliter non poſſunt, niſi quatenus

tenus cum præſcripta lege norma aut regula conveniunt vel ab hac diſcrepant, hinc matrimonii honeſtas aut turpitudo aliter cognoſci nequit, quam ſi conſideretur an ejusdem indoles aut natura præſcriptis legibus reſpondeat. Inprimis quando ab aliquo ineundum eſt conjugium, videndum maxime eſt ne contra ſtatutam legem peccetur.

§. III.

Leges & regulæ ſecundum quas vivendum eſt homini, ſunt vel *Rationis*, vel *Magiſtratus*, vel *Chriſtianæ*. Lex rationis vocatur alias lex *naturalis*, ubi nemo ſuperiorem agnoſcit in ſtatu Naturæ præter dictamen rationis, quod a Deo proficiſcitur, cujus voluntati quisque obedire tenetur. Lex Magiſtratus vocatur alias lex *civilis*, quoniam in certa quadam civitate a Principe aut qui rebus publicis præeſt fertur, & contradiſtinguitur legi rationis, quia hæc nimis generalis & veluti abſtracta eſt, lex autem civilis ſpecialior ad reipublicæ ſtatum & indolem accommodatur, ac proinde plerumque de caſibus ſingularibus, aut quæ frequenter uſu venire ſolent, ſancitur. In quibus ferendis non modo rationis lumen adhibendum eſt, ſed præter hoc inprimis etiam attendendum, quid ſubditis & hominibus in iſta republica viventibus conducat ipſorumque commoda promovere poſſit. Leges Chriſtianæ appellantur, quæ in ſacro codice hominibus Chriſti doctrinam amplexantibus datæ ſunt, ut ſecundum has vitam non modo rationalem & civiliter bonam, verum etiam ſanctam inſtituant. Et quoniam hæ doctrinæ rationem & decreta magiſtratus ſuperant, hinc peculiariter *revelatæ* dici ſolent, & religionis Chriſtianæ partem conſtituunt.

§. IV.

§. IV.

Initur ergo matrimonium 1. in Statu naturali secundum *legem rationis*, 2. in Statu civili, secundum *leges reipublicæ* a Principe latas. 3. In Religione Christiana, *secundum doctrinam scripturæ sacræ & præcepta Christi.* Jam itaque videndum est, quid in diversis hisce statibus, ad matrimonii honestatem observandum sit, *Homini, Civi,* & *Christiano.* Ex quibus deinceps facile clarescet, quænam dispensationum fundamenta sint, & quatenus in re matrimoniali dispensare liceat.

§. V.

In rebus moralibus secundum naturæ ductum, actionum natura & indoles optime ex fine & agentis intentione cognoscitur. Itaque qui matrimonium in Statu Naturali secundum dictamen rationis contrahit, tria potissimum intendit 1.) ut sobolem sibi quærat. 2.) Ut consuetudine & auxilio alterius perfruatur. 3) Ut adversus stimulos venereos & vagam libidinem remedium habeat. Ex his finibus primus quidem videtur esse præcipuus & maxime necessarius. Secundus non cujusvis naturæ inclinationi proprius est, aliisque subsidiis obtineri potest. Tertius naturæ corruptæ quidem admodum agnatus, non tamen omnino homini necessitate naturæ perpetuus est, & qui rationem excoluere virtutibus, ab eodem abhorrent.

§. VI.

Ex quibus videre licet, quod ad honestatem matrimonii in statu naturæ contrahendum nihil amplius essentialiter requiratur, quam ut vir cum fœmina, aut fœmina cum viro cohabitet vel ad Sobolem quærendam, vel ad consuetudinem aut mutuum adjutorium, vel denique ad restinguendos libidinum stimu-

los. Qui tamen finis ultimus repugnare rectæ rationi videtur, nisi sobolis generandæ intentio adsit. Plura ratio sibi relicta circa matrimonium necessaria esse non cognoscit. Licet enim aliqua sint, quæ si observentur ab aliquo in societate conjugali, ad laudem ipsi cedant, tanquam necessaria tamen ab homine naturali ex rationis præceptis exigi nequeunt. Ex horum numero est, ut quis *perpetuo* cohabitet cum fœmina, quam semel in matrimonium ascivit. Præceptis enim moralibus & rationi conforme est, ut si quispiam recte cum quodam amicitiam honestam iniit, eandem perpetuo & sine divortio servet, secundum illud, ea amicitia quæ desinere potest vera nunquam fuit. In conjugio autem summa amicitiæ ratio conspici debebat, adeoque esse ipsam quoque oportebat inviolabilem. Verum ideo non peccare in statu naturali dicendus statim est, qui per nonnulla tempora, uti per anni aut plurium annorum spatium, fœminam vel virum in societatem conjugalem adscíscit, qua tempore elapso ac obtento fine suo eandem iterum solvit. Quoniam perpetuitas in statu naturali conjugio de virtute est, de justitia non est, quasi injustus aut flagitiosus sit, qui contra faceret. Hujus enim rei ex ratione sibi relicta ratio solida reddi nequit.

§. VII.

Sed in *statu civili* nonnulla Princeps hisce simplicioribus præceptis naturalibus circa res matrimoniales addere potest ex usu reipublicæ suæ. Est autem Princeps vel *Christianus* vel *Gentilis*, sed quoniam adhuc dantur religiones aliæ uti Mahumedana, Judaica &c. dicemus potius, quod Princeps sequatur vel *Revelationem* supernaturalem sive veram sive falsam, vel *Rationem* solam.

solam. Princeps *Revelationem* supernaturalem sequens (quo pertinet Princeps Christianus) tenetur matrimonii leges eas sequi & in sua republica observare, atque aliis observanda præstituere, quæ a Deo atque in sacris literis præcipiuntur, de quibus mox plura dicturi sumus §§. sequentibus. Princeps autem *solam rationem* sequens, ea circa matrimonialia adjicere naturalibus præceptis potest, quæ pro statu suæ civitatis ad salutem & commodum subditorum atque suum maxime conducunt, quæ quoniam varia esse possunt, in præsenti non commemoramus. Exemplo apud nos est publica eaque trina proclamatio, copulatio per Ministros Ecclesiæ, quam *Dn.Becmannus*, ipsis tanquam Magistratum repræsentantibus, ab imperante concessam esse docet, quod etiam exemplo Reipublicæ Batavorum videre licet.

§. VIII.

Quoniam vero plerique Principes in Europa *Christianismum* profitentur adeoque ex Religionis Christianæ dictatis res matrimoniales moderari tenentur, hinc considerandum præcipue est, quod circa negotium matrimoniale tenendum sit, si *Christianus* secundum sacræ scripturæ præcepta matrimonium inire voluerit. Illud certum est, scripturam & Christi doctrinam, approbare illos tres fines conjugii quos ex sana ratione adduximus §. 5. & 6. Nam 1) de procreanda per conjugium sobole legitur *Genes. cap. I. v. 28.* (a) *crescite & multiplicate & replete terram*, 2) de mutuo auxilio invicem præstando legitur *Genes. cap. II. v. 18. Non est bonum hominem esse solum,*

(a) *Iunius & Tremellius* voces Hebræas פְּרוּ וּרְבוּ verterunt *fætificate & augescite* & legi hic utiliter possunt, quæ habet *Seldenus* J. N, & Gent. juxta disciplinam Ebræorum lib. V. c. 3. p. 565.

lum, faciam ei auxilium commodum ipsi (quod quidem nonnulli de auxilio ad generandum explicant) 3) de restinguenda libidine legitur. *1. Cor. VII, 2. & 9. Propter scortationem, suam quisque uxorem habeto, & proprium quavis virum habeto. Qui se non continent, matrimonium contrahant, nam melius est matrimonium contrahere, quam uri.*

§. IX.

Verum his ipsis præceptis naturalibus nonnulla superaddidit divina sapientia in sacris literis. Quorum præcipua sunt hæc 1) ut matrimonium sit perpetuum, & regulariter (Adulterium enim, & malitiosa desertio contra conjugii regulas committuntur) non nisi morte dissolvatur. *1. Cor. VII. 39. Uxor alligata est marito, quamdiu vivit maritus Rom. VII, 2. Genes. II, 24. Matth. XIX, 6. 9.* 2) Ut cum una fœmina, & uno mare contrahatur. *Genes. I, 27. II, 24. Matth. XIX, 4. 5. 9.* 3) Ne cum persona nimia consanguinitate & affinitate alicui conjuncta ineatur. Quo pertinent leges de incestu *Levit. XVIII, 16. sqq.* Quæ uberrimam eruditis Theologis pariter & Jureconsultis disceptandi materiam dedere. Quo de nonnulla infra dicentur.

§. X.

Hæc de contrahendo matrimonio, secundum leges naturales, civiles & sacras sive Christianas. De dispensatione nunc monendum est, quod per *dispensationem* intelligenda sit, *relaxatio juris debiti, alicui præ ceteris facta, manente lege, scilicet quando is, qui in legem latam habet potestatem, vim obligandi alicui remittit, qui ista lege omnes stringente tenebatur.* Quo pertinet, cum Princeps nonnullas merces generatim vendere lege vetuit, interim easdem vendendi potestatem alicui per privilegium concedit. Aut si quando in duellum proruere universis

versis interdictum est, Princeps tamen uni concedit licentiam alterum in duellum provocandi.

§. XI.

Et distinguenda omnino est dextra *legis interpretatio* sive æquitas a dispensatione. Quare cum nonnulli Jureconsulti concedunt, ut quis in uxorem ducere possit defunctæ uxoris sororis filiam. Vid. *Richter Decis. 11. n. 13. sq. part. II. Consf. 18. Struv. Jurispr. Rom. Germ. l. 1. tit. 6. §. 17.* Hoc non proprie dispensatio, sed dextra tantum, uti & ipsi opinantur legis divinæ interpretatio secundum æquitatem dicenda est. Nam ex horum mente prohibitio *Lev. XVIII. & XX.* ad unicum tantum casum ibidem vetitum & expresse denominatum restringitur. Hinc dum mens legislatoris non fuit, casum hunc prohibere, quod secundum ipsorum explicationem verum putant, proprie non dispensant circa hanc rem, sed tantum explicant, quod Deus hunc casum quem permittunt in contrahendo matrimonio prohibere noluerit. Sic etiam dum Christus *Marci II, 24. 25. 27. 28.* permisit, ut discipuli vellicarent aristas tempore Sabbathi, proprie non dispensavit, sed tantum dextre explicavit mentem legis divinæ, quæ tempore necessitatis nunquam vellicare aristas etiam die Sabbathi prohibuit. Id quod exemplo Davidis ex *1. Sam. XXI, 6.* illustratur.

§. XII.

Hinc cum anno 1595. Judæus quidam Nathan dictus Hildesiæ matrimonium cum defunctæ uxoris sorore iniret, & cum *Dan. Hofmannus*, Theologus Helmstadiensis demonstrare conaretur, ejusmodi nuptias, quæ in primo hoc affinitatis gradu contrahuntur, nec jure divino nec naturali repugnare, adeoque Magistratum tale matrimonium concedere posse affirmaret, de quo vi-

deatur *Gerhardi* judicium apud *Dedekennum Confilior. Vol. III. p. 250.* proprie non hoc volebat, quod Magiſtratus hoc in caſu diſpenſare, id eſt ſuſpendere legis divinæ vim poſſet, ſed potius contendebat de dextra interpretatione *verſ. 18. Cap. XVIII. Levitici*, an nimirum verbis iſtis, *mulierem ad ſororem ne aſſumito ad affligendam eam in vita ipſius* vetitum ſit uxoris ſororem ducere, poſtquam uxor fatis conceſſiſſet, an vero nuptiæ prohibeantur cum ſorore uxoris ſolum quamdiu vivit.

§. XIII.

Quanquam vero differentia omnino obſervanda ſit inter diſpenſare & legum latam recte explicare, uti mox oſtendemus, uſu tamen obtinuit, ut diſpenſare nonnunquam dicatur magiſtratus, ubi accurate loquendo nuda tantum legis latæ explicatio aut permiſſio locum habere poteſt. Hinc Princeps diſpenſare dicitur, ubi res dubia quædam prima vice dijudicanda incidit, de qua nondum lex lata aut decretum extat. Cum tamen proprie omnis diſpenſatio decretum aut legem obligantem prærequirat. Quare ſi Magiſtratus ſecundum *Bezæ* & *Hemmingii* ſententiam alicui concedat, fratris ſui defuncti ſponſam ducere, quia ex ipſorum mente mulier non pertinet ad matrimonium, cum qua commixtio ſexus facta non eſt, in quo tamen caſu diſſentit *Facultas Theologica Roſtochienſis*, non diſpenſaſſe hac in re, ſed declaraſſe aut explicaſſe tantum mentem ſuam dici debet.

§. XIV.

Inter diſpenſationem enim & declarationem ſive legis rectam explicationem triplex intercedit differentia. Nam 1) Diſpenſatio ſemper fieri debet a ſuperiore & qui legem latam abrogandi poteſtatem habet, ſed explica-

plicare legem quisque inferior poteſt, qui legis rectum intellectum habet. 2) Diſpenſatio relaxat obligationem, ſed declaratio aut interpretatio ut plurimum oſtendit legem non obligare. Itaque diſpenſatio locum habet, quando lex viget & adſtringit, declaratio vero ſolet addi, quando legem non obligare oſtenditur. 3) Diſpenſatio poſtulat, ut circumſtantiæ rei perſiſtant ſub quibus lex obligabat, verum declaratio neceſſaria eſt, ubi circumſtantiæ mutatæ ſunt. Itaque hodie portas civitatum tranſcendentium pœna non eſt capitalis, quemadmodum apud Romanos, ſed arbitraria. Vid. *Berlich. Deciſ. 70.* Quoniam legis circumſtantias mutatas eſſe conſtat. Nec capitali ſupplicio afficiendus eſt Sabbathum profanans, uti *Num. XV, 35.* tempore Veteris Teſtamenti factum eſt, adeoque declaratio, non autem diſpenſatio his in caſibus hodie locum habet.

§. XV.

Superioribus perſpectis fundamenta diſpenſationum haud difficulter intelligi poſſunt. Diſpenſationis enim præcipuum & fere unicum eſt fundamentum *poteſtas legislatoris ejusque a ſuperiore independentia*, adeoque is diſpenſare circa legem poteſt, qui legis conditæ auctor eſt, eamque abrogare poteſt. Ex quo ſequitur, quod magiſtratus inferior circa legem a ſuperiore aut Principe latam diſpenſare nequeat. Neque etiam Rex aut Princeps ſummus circa leges a DEO latas diſpenſandi poteſtatem habet. Ratio eſt, quoniam inferior qui a ſuperiore dependet, in voluntatem ſui ſuperioris nullum jus habet. Voluntas autem ſuperioris lex eſt inferiori. Quousque igitur firma eſt ſuperioritas Imperantis, eo usque diſpenſare præter ipſum circa legem a ſe latam nemo poteſt.

§. XVI.

Evidens itaque eſt ſummum Imperantem diſpenſare non poſſe 1) *circa leges naturales*, & quæ ex liquido naturæ lumine proficiſcuntur. Nam leges naturales continent voluntatem Dei quatenus per rectam rationem cognoſci poteſt. Voluntati autem Dei liquidæ cognito ab omnibus obedientia debetur. Itaque ſi imperans diſpenſare vellet circa præceptum naturæ, ut quis impune innocentem occideret, ipſi injurias inferret, crimina committeret, ſimiliaque, fieret hoc inde, quod vel Deum non agnoſceret, vel Deum legis naturalis autorem exiſtere negaret, quod utrumque in hominem ratione utentem cadere nequit. 2) Nec Princeps diſpenſare poteſt circa leges divinas *ex revelatione ſupernaturali cognitas* quæ in ſacris literis extant. Quoniam per revelationem voluntas divina nobis innoteſcit, cui parendum eſt. Et ſi quid dubitationis circa leges divinas in Scriptura S. propoſitas ſupereſt, illud non tam diſpenſationem proprie dictam, ſed tantum interpretationem revelationis concernit, uti mox pluribus monebitur.

§. XVII.

Neque enim quisquam eo impietatis aut vecordiæ facile proceſſit, ut diſpenſare ſe proprie poſſe diceret circa leges a Deo homini præſcriptas & evidenter cognitas, ſic enim ipſi Deo ſuperiorem ſe faceret. Et quanquam hoc Pontificibus Romanis vulgo tribui ſoleat, ſaniores tamen ex ipſis Pontificiis illud omni ſtudio ab iisdem removere allaborant. Vid. *Georgii Sayri Clavis Regia Sacerdotum l. 6. cap. II. §. 16.* Quinimo *Becanus in Manual. Controverſ. l. 1. c. 6. §. 46.* cum ipſi objectum eſſet a Povello, Papam diſpenſare contra legem Veteris

& No-

& Novi Teſtamenti, reſpondet, hanc objectionem conſtare meris mendaciis, eandemque in Opuſculo de *Anti-Chriſto Reformato cap. 6. Oper. tom. II. p. 953.* probari non poſſe dicit, niſi mendaciis, calumniis & ſimilibus portentis. Quæ vehementius dicta ſuo loco linquimus, addimus vero quod & ipſe *Becanus Theol. Scholaſt. tr. III. c. 6. Concl. 3.* Pontificem peccare affirmet, quando cum aliquo diſpenſet ut poſſit omittere horas canonicas, ipſum etiam, qui hac diſpenſatione utitur, peccare.

§. XVIII.

Diximus §. 15. inferiorem diſpenſare non poſſe contra legem a ſuperiore latam. Ubi tamen limitatio quædam annectenda eſt. Nonnunquam enim inferior diſpenſare circa legem ſuperioris poteſt, & quidem duplici ex cauſa. 1) Quando inferior ſuperioris conſenſum tacitum habet, quod fit cum conſuetudo contra legem latam invaluit ſciente & permittente ſuperiore. 2.) Quando inferior ſuperioris conſenſum expreſſum habet, uti quando ex poteſtate delegata diſpenſat judex inferior aut miniſter. Verum ſi accurate rem examinare velimus, hiſce in caſibus inferior non diſpenſat contra legem ſuperioris, ſed tanquam interpres ſuperioris, præſumptam ejus voluntatem tantum proponit aut exequitur.

§. XIX.

Jam quando ad diſpenſationes in cauſis matrimonialibus accedimus, primo nobis quidem conſiderandum eſt, an Princeps ſit *Ethnicus*; an vero *Chriſtianus*, vid §. 7. Princeps ethnicus quia rationem ſibi relictam ſolum ſequitur, & revelatione ſupernaturali deſtituitur, diſpenſare in omnibus circa matrimonialia vi ſui imperii & ſuperioritatis poteſt, quæ ratio recta non inho-

nesta aut injusta dictitat. Quoniam enim Princeps gentilis nullum superiorem habet præter Deum, Dei autem voluntas ipsi non aliter innotescere potest, quam per rationem naturalem, hinc contra rationis dictamen dispensare nequit. Quo pertinet *Modestini* dictum *l. 42. ff. de ritu Nupt.* Semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed quid honestum sit. Conf. § 5. 6. 7. Itaque si per rationem sibi relictam evidenter demonstrari potest, Polygamiam aut incestum sive nimiam sanguinis propinquitatem ex consanguinitate & affinitate ortam, repugnare dictamini rationis rectæ & per consequens voluntati Dei Princeps etiam Ethnicus permittere Polygamiam aut dispensare de incestis nuptiis non potest. At contra si ex lumine rationis solo ostendi turpitudo incestus aut polygamiæ nequit, Princeps Ethnicus, qui revelatione supernaturali & sacra scriptura destituitur, si permittere & dispensare circa has causas ausit, videtur id egisse, in quo ideo culpari vix potest. Nisi id monere velis, incubuisse ipse inquisitionem in voluntatem revelatam numinis, cujus neglectus excusabilis non censetur. Par in reliquis circa matrimonialia ratio est.

§. XX.

Verum Princeps aut Magistratus *Christianus*, quoniam voluntatem Dei agnoscit sibi patefactam, & præscriptam per revelationem in sacris litteris habet, obstrictus omnino est hisce legibus divinis congruentes matrimonii leges & ipse observare, & subjectis sibi in republica hominibus præscribere. Ratio est, quoniam ut omnis Princeps, ita inprimis Christianus voluntati Dei obedire tenetur. Voluntas Dei autem ipsi innotescit non modo per rationem uti Ethnico Principiis sed præter hæc etiam per peculiarem revelationem supernaturalem in S. Scriptura. Itaque placitis Scripturæ S. contrariis nihil statuere, aut contra hæc dispensare potest. Verum Principis Christiani

ftiani maxime eft, ut de fenfu & mente legum per revelationem propofitarum recte cognofcat, easque accurate cognitas habeat, ne fallatur aut ejus poteftas nimium, quam par eft, per explicationes textui facro minus convenientes circumfcribatur.

§. XXI.

Univerfa itaque difpenfationum difficultas circa matrimonialia, & quatenus Princeps circa hæc difpenfandi facultatem habet, ad interpretationem legum divinarum earumque rectum fenfum redit, vid. §. 14. In fpecie quod ad leges de inceftu attinet, traditur de eo ex profeffo *Cap. XVIII. Levit.* in quod brevem hunc commentarium edimus, eademque fere de inceftu leguntur *Cap. XX. v. 11. 12. 14. 17. 19. 20.* Materia vero de Polygamia deduci præcipue folet ex *Gen. I. v. 26. 27. cap. II. v. 18. 19. Matth. XIX. v. 3. 4. 5. 6. Conf. §. 8. fupra.* Quanquam etiam ex *Levit. XVIII. 18.* funt, qui prohibitionem ejus derivare velint. De qua re tamen hic non disquirimus. Uti autem de Polygamia quæri folet, an in Scriptura S fit prohibita, ita de legibus inceftus *Cap. XVIII. & XX. Levit.* propofitis inprimis difputatur: 1) An lege naturali inceftus prohibeatur, an vero lege tantum pofitiva, tum etiam an ante legem Mofaicam leges de inceftu obtinuerint, an vero volente DEO demum reipublicæ Judaicæ fuerint primum per Mofen latæ? Quod prius quidem *Seldenus de J. N. & Gentium juxta Difciplinam Hebræorum lib. V. & in Uxore Ebraica*, prolixe deducit, qui tamen *l. 5. cap 9. J. N. & Gent.* fimul probat, *Abrahamum* nuptias cum forore uterina iniiffe, & *Amramum* Jochabedam amitam fuam, *Jacobum* vero duas forores in uxores duxiffe. Neque binorum fratrum cognationem obftitiffe, quo minus mortuo altero, uxor ejus fuperftiti conjungeretur. 2) Infignis deinde diffenfus in eo eft, an prohibitio Mofaica tantum perfonas *Levit. XVIII.* expreffe nominatas complectatur, an vero ad gradus æque diftantes extendatur? Quibus quæftionibus luculenter explicatis, nemo non videt, maximas illas difficultates, quæ Principis aut magiftratus confcientiam in difpenfando circa matrimonialia urgere poffunt expirare.

§. XXII.

Atque de his quidem nonnulla uberius tradi a nobis potuiffent, nifi jam præfationis menfuram exceffisfemus, & præterea Jureconfulti pariter atque Theologi Clarisfimi hanc provinciam diu ante nos oc-

cupas-

cupaſſent. Ut tamen in rem iſtam nonnulla conferremus, edere placuit in præſenti brevem commentarium celeberrimi & dum viveret judicio eſt ingenii acumine clarisſimi Theologi JOH. MUSAEI, Profesſoris quondam Jenenſis, quem in *Cap. XVIII. Levitici* tanquam in propriam ſedem doctrinæ de inceſtu conſcriptum reliquit. Qui cum in manus noſtras incidiſſet, ne propter brevitatem ſuam forte intercideret, ab interitu hac editione vindicandus erat. Neque alio fine cum publico nunc communicatur, quam ut brevis & utilis hæc *Cap. XVIII. Levitici* explicatio in materia tam frequenter obvia, neque omni ex parte expedita, lectoribus commodo ſit. Uti omnia *Muſæi* ſcripta ingenium, doctrinam & judicium Theologicum oſtendunt, ita ſupervacuum foret, elogio virum ornare, communi laude longe ſuperiorem. Illud addere non abs re eſt, cum in cœteris ſcriptis ſuis, inprimis ubi cum ſcholaſticis argutiis ipſi negotium erat, acumen fere ad obſcuritatem oſtenderit terminis & loquendi modis inter Sophiſtas Pontificios receptis, quod in præſenti commentatione de conſanguinitate & affinitate, ſermone & explicatione tam plana apertaque procedat, ut ab omnibus citra difficultatem omnemque hæſitantiam intelligi poſſit. Nullum proinde dubium eſt, quin ex brevi etiam hac commentatione Muſæana, lectores fructum commodumque percepturi ſint. Animus initio erat breviores quasdam obſervationes adjicere, inprimis ad ea loca & Muſæanas commentationes, quæ ex antiquitate hebraica, & a recentioribus aliter explicari vel ſolent vel posſunt. Inprimis addi a nobis potuiſſent, quæ in variis Principum terris conſuetudines & diſpenſationes circa ſingulares caſus matrimoniales obtineant. Notum enim eſt, non in omnibus territoriis eandem in re matrimoniali concedi a Principibus libertatem, atque aliter in terris Brandenburgicis, aliter in Saxonicis, aliter in aliis, legibus provincialibus decerni, circa ſecundum & tertium imo etiam quartum gradum conſanguinitatis lineæ æqualis & inæqualis. Hodieque maxime in controverſiam vocari matrimonium cum demortuæ uxoris ſorore, aliosque caſus ſimiles, quos *Muſæus* in hac ſua explicatione obiter & & quaſi tribus, quod dicitur tantum verbis attigit, de quibus plura ſingularia omnino adduci a nobis potuiſſent. Quoniam vero temporis ratio nos in præſenti a deſtinato conſilio excluſit, fiet illud vel alio loco, aut quando commentationis hujus iterata editio forte comparebit.

AD CA-



AD CAP. XVIII. LEVITICI.

DE CONSANGVINITATE ET AFFINITATE, COMMENTATIO.



QVAE in cap. XVIII. Levit. continentur, pertinent ad locum de Conjugio, & eo collineant, ut ſua conjugio honeſtas & ſanctimonia intemerata ſervetur. Prohibent enim non ſolum matrimonio jungi Perſonas, quas jungi ob intercedentem Conſanguinitatem & Affinitatem turpe eſt, ſed etiam quosvis illicitos, & honeſtati conjugii adverſantes concubitus. Sunt proinde leges hoc capite comprehenſæ duorum generum, quædam præciſe occupantur circa perſonas, quas matrimonio jungi honeſtas non permittit, easque jungi prohibent, a verſu 6. usque 18. Reliquæ occupantur in prohibendo quovis alio concubitu illicito a verſu 19. usque 23. quibus Præceptum de liberis non offerendis Molecho inſeritur. Præceptis utrisque præmittuntur procemii loco verſus quinque, adhortationem ad obedientiam complectentes. Sub finem vero adjicitur dehortatio a ſceleribus prohibitis cum annexis comminationibus in transgreſſores ſeveriſſimis, ex repetita adhortatione ad obedientiam. Recta jam ad ipſum Textum progrediemur.

TEXTUS.

Versus 1. Et locutus est Jehova ad Mosen dicendo:

v. 2. Loquere ad filios Israelis, & dic ad eos: Ego Jehova DEUS vester *scilicet* sum.

COMMENTATIO.

Hisce duobus versiculis continetur mandatum DEI ad Mosen de proponendis Præceptis suis Israelitico populo, cum adjecta ratione, quia ad illorum observationem inducere eos debebat: quod est, quia illorum autor sit ipse Jehova, DEUS ipsorum, cui ad obsequium præstandum Israelitæ obligentur, non tantum jure creationis, ut alii omnes populi, & gentes, sed etiam speciali jure adoptionis. Adoptaverat enim populum Israeliticum in populum suum, sive in peculium suum, & multis insignibus beneficiis eum præ aliis omnibus populis & gentibus dignatus fuerat: inter quæ non ultimum erat, quod brachio forti eos eduxerat e servitute Ægyptiaca & jam in terram Canaan patribus ipsorum promissam introducturus erat.

TEXTUS.

Vers. 3. Secundum opera terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis, *id est*, ne facitote, & secundum opera terræ Canaan, in quam ego duco vos, non faciatis, vel ne facitote.

v. 4. Et in statutis illorum non ambulabitis, vel ne ambulatote, Judicia mea facietis, *id est*, facitote.

v. 5. Et statuta mea custodietis, *id est*, custoditote, ad ambulandum in eis, vel ut ambule-

buletis in eis. Ego Jehova DEUS vester *scilicet* sum.

COMMENTATIO.

IN v. 3. & 4. continetur adhortatio ad obsequium, negative partim, partim affirmative proposita, negative quidem, quod vitare debeant Israelitæ, ostenditur in v. 3. nempe ne secundum opera, sive terræ Ægypti, sive terræ Canaan facerent. Habitaverant enim Israelitæ longo tempore in terra Ægypti, & Ægyptiorum mores, ritus, & vivendi rationem maxime cognitam & perspectam habebant. Ne ergo terram promissam ingressi, illorum mores & vivendi rationem imitarentur, hortatur Deus, ne secundum opera terræ Ægypti facerent. Ponitur autem singulare מעשה *opus* pro plurali per enallagen numeri, & recte redduntur verba, *secundum opera terræ Ægypti.* Intelliguntur autem per opera terræ Ægypti Ægyptiorum mores, ritus & vivendi ratio, sive consuetudo, quæ prorsus impia, & ab ipsa naturali ratione ac honestate morum alienissima erat. Vulgatus interpres: *juxta consuetudinem terræ Ægypti.* Ponitur autem porro terra Ægypti per Metonymiam subjecti pro adjuncto, pro incolis terræ Ægypti, ut sensus sit: *Secundum opera sive mores, ritus & vivendi rationem incolarum terræ Ægypti, in qua habitastis, ne facitote.* Et quia Deus Israelitas jam introducturus erat in terram Canaan patribus ipsorum ante annos 400. promissam, & periculum erat, ne Israelitæ terram promissam ingressi etiam Cananæorum mores imitarentur, Deus similiter eos præmonitos voluit, & hortatus est, ne secundum opera terræ Canaan facerent, in Ebræo rursum est singulare Opus per enallagen numeri pro plurali positum, & terra Canaan ponitur similiter pro incolis terræ Canaan. Quod additur: in quam ego ducens vos, i. e. duco vos,

continet enallagen temporis præsentis pro futuro, & sensus est: *in quam ego ducturus sum vos.*

Additur interim ratio ad obsequium Israelitas inducens, superius etiam adjecta, quod est: *Ego Jehova Deus vester:* de qua, quia paulo ante diximus, nunc nihil addemus.

Affirmative proposita adhortatio continetur quarto versu, & quod agere Israelitæ debeant, ostendit: nempe Judicia Dei facere sive exercere, & statuta ejus observare debent. Verbum futuri temporis hic sæpius ponitur pro Imperativo per Enallagen.

Et custodite, id est, observate statuta mea, & judicia mea. Qui fecerit ea homo, & vivet in eis, ego Jehova.

Verba hæc continent promissionem Remunerationis, qua eos dignaturus est, qui statuta sua observaverint, & judicia sua exercuerint. Nonnulli præfixum ו *Vav* in verbo שמרתם reddunt, per particulam conditionalem, *si*, hoc sensu: Si observaveritis statuta mea, & judicia mea, homo, qui fecerit ea, tum vivet in eis, ut præfixum ו *Vav* in verbo חיה *chaja* respondeat præfixo *Vav* conditionaliter accepto, neque incommode, ut contextus ostendit.

Possunt autem verba hæc: homo, qui fecerit ea, vivet in eis, accipi (1) de conservatione & observantia legum publicarum in Politia divinitus constituta, ut eis contineatur adhortatio ad observandas leges publicas ad magistratum directa cum promissione: quæ si leges publicæ a magistratu diligenter conserventur & urgeantur, Respublica futura sit salva & incolumis, ut quisque sub vite & ficu sua tuto & tranquille vivere, & fructibus terræ vesci queat, quales promissiones sæpius Israelitis obtigerunt per Prophetas, ut *1 Reg. IV. v. 25. 2 Reg. XVIII. v. 31. Matth. IV. v. 4.* & alibi legere est. Deinde (2) possunt hæc etiam accipi de remuneratione obedientiæ, quam Deus privato cuique statuta sua observanti

promi-

promiſerit, quod ſcilicet ſi ſtatuta ſua ſervaverit, feliciter vitam tranſigere in hac mortalitate debeat. Et ſane negari non poteſt Deum remunerari etiam in hac vita renatorum obedientiam temporalibus bonis ac præmiis, ſi ejus legem quoad per gratiam Spiritus S. & naturæ infirmitatem poſſunt obſervent (3) Chriſtus & Paulus explicant hæc de perfecta legis impletione & promiſſione vitæ æternæ. Chriſtus item *Luc. X. v. 28.* quoniam Legis perito tentanti ipſum & dicenti: Magiſter quid faciendo vitam æternam poſſidebo, reſpondit in lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? dicenti legis perito: diliges Dominum Deum tuum &c. Reſpondit Chriſtus: hoc fac & vives, digitum intendens ad hunc ipſum locum: homo qui fecerit ea, ſcilicet quæ in lege præſcripta ſunt, vivet, in eis. Significat igitur Chriſtus, hominem, qui legem Dei facturus ſit, ſcilicet perfecte, & ſine ullo defectu vitam æternam in ea habiturum eſſe. Paulus vero *Gal. III. v. 11.* ubi de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo agit eſt oſtenſurus, quod in lege nemo juſtificetur apud Deum, hunc locum affert, quod Lex non ſit ex fide, ſed perfectam exigat obedientiam, cum ſcriptum ſit, qui fecerit ea homo vivet in ipſis. Si primo & ſecundo ſenſu verba explicentur, tunc intelligenda erunt de obedientia, quanta in renatos per naturæ infirmitatem & gratiam Spiritus S. cadere poteſt. Si tertio ſenſu, tunc intelligenda ſunt de obedientiæ modis & numeris omnibus perfectæ ſine ullo defectu.

TEXTUS.

Verſ. 6. Vir vir, *id eſt*, nemo quisquam ad carnem carnis ſuæ, *id eſt*, ad propinquum vel propinquam carnis ſuæ appropinquet ad retegendam nuditatem; ego Jehova ſcilicet ſum.

COMMENTATIO.

Versus hic generalem continet legem, quæ summam perhibet omnium prohibitionum specialium, quæ in subsequentibus versiculis subjungentur, ea vero est hæc: *neminem debere appropinqnare ad carnem carnis suæ, hoc est ad propinquum vel propinquam sibi consanguinitate, ut carnaliter se cum eo vel ea commisceat.* In hebræo habetur vocula אִישׁ bis posita, quæ alias sexus masculini nomen est, & virum significat quemlibet & bis posita notat universalitatem sine exceptione, ut reddi possit, quilibet vel quicunque vel quisquis. Deinde voculam שְׁאָר *Arias Montanus* reddit reliquas, ut sensus sit: *quilibet ad quascunque reliquas carnis suæ ne appropinquet*, sed quando vox hæc significat reliquas tunc ָ Kamez habet non ֵ Tsere, quoniam autem punctum Tsere habet sub Aleph, & legitur שְׁאֵר tunc *carnem* significat, ut שְׁאֵר בְּשָׂרוֹ sit caro carnis suæ. Est autem hæc quædam consanguinitatis descriptio, & dicitur caro carnis pro propinquo carni secundum generationem, ut caro carnis meæ sit idem atque propinquus vel propinqua mihi consanguinitate aut propinquus vel propinqua mihi secundum generationem sive propagationem carnis. Neque quælibet denotatur consanguinitas hac locutione, sed consanguinitas proxima, ut caro carnis meæ sit & dicatur, qui vel quæ consanguinitate me proxime attingit, sive in linea recta, quo modo caro carnis meæ est is vel ea, ex quo vel qua ego prognatus sum, vel qui vel quæ ex me natus vel nata est: sive in linea collaterali autem, qui vel quæ mecum ex eadem carne pronatus aut pronata est. Hinc lapsi sunt veteres Pontifices Romani, qui de quacunque consanguinitate legem hanc acceperunt, & conjugia in septimum usque gradum consanguinitatis prohibuerunt. Non autem quæcunque hac lege appropinquatio prohibetur ad carnem carnis suæ, sed

tantum

tantum appropinquatio ſeu ſocietas conjugalis vel certa appropinquatio in carnali commixtione. Vnde additur ad retegendum nuditatem ejus. Vox עֶרְוָה alias ſignificat nuditatem, denudationem, revelationem, deſcendit a radice ערה nudavit, denudavit, revelavit, retexit &c. per antiphraſin autem ſignificat verenda ſeu pudenda, quæ nunquam nuda ſed ſemper tecta eſſe debent. Senſus igitur verborum eſt, neminem quenquam debere accedere ad propinquam ſibi conſanguinitate ad retegenda verenda ejus, h. e. ad concumbendum cum ea. Ratio prohibitionis ſubjungitur: quia ego ſum Jehova, nempe qui legem hanc tulit, eſt Jehova, qui eſt ipſa Lex & juſtitia immutabilis, & ut natura turpis eſt carnalis commixtio inter propinquos conſanguinitate, ita ipſe pro ſua juſtitia immutabili vult & præcipit, ut ab ejusmodi inceſtuoſa commixtione omnes abſtineant, quocunque etiam ſtatu aut conditione ſint, atque hoc importat vocula איש bis poſita, quæ omnimodam univerſalitatem importat & omnes cujuscunque ſtatus aut conditionis ſint ad abſtinen dum a tali concubitu obligat.

TEXTVS.

Verſ. 7. Nuditatem patris tui, & nuditatem matris tuæ non revelato, ſeu retegito, mater tua ipſa *ſcilicet* eſt, ne retegito nuditatem ejus.

COMMENTATIO.

SEquuntur nunc prohibitiones ſpeciales, & quemadmodum in verſu præcedente in genere interdictum fuerat, ne quis appropinquet ad carnem carnis ſuæ vel ad propinquam vel propinquum ſibi conſanguinitate, ita in verſu præſente prohibetur ſpeciatim, ne quis appropinquet ad matrem ſuam ad retegendam nuditatem ejus, h. e. ad concum-

bendum

bendum cum ea, & ne quæpiam appropinquet ad patrem ſuum ad retegendam nuditatem ejus, vel ad concumbendum cum eo. Et quia de filia non tam facile præſumitur, quod acceſſura ſit ad Patrem, quam de filio erga matrem, ideo poſtquam dixerat Deus; nuditatem Patris tui, & nuditatem matris tuæ ne retegito, de ſola matre ſubjungit rationem prohibitionis, quæ eſt: mater tua ipſa eſt, vel, maxime tibi propinqua eſt conſanguinitate, cum ex ea prognatus ſis, atque adeo ſic caro carnis tuæ. Eadem autem ratio militat etiam contra concubitum inter filiam & Patrem & tam ab eo debet abſtinere filia, quia ipſe ſit Pater ejus, h. e. conſanguinitate maxime propinquus, cum ex eo nata ſit, quam filius abſtinere debet a concubitu cum matre ob ſummam propinquitatem. Hoc igitur verſu prohibetur conjugium & quilibet concubitus in primo gradu lineæ rectæ aſcendentis.

Quemadmodum autem alias patris nomine veniunt & avus, proavus, atavus & ſic conſequenter aſcendendo, & ſimiliter matris appellatione in ſcripturis veniunt & avia, proavia &c. ita inpræſentiarum voces patris ac matris eadem latitudine accipiendæ ſunt, ut ſimul prohibeantur nuptiæ inter nepotem & aviam, pronepotem & abaviam & ſic conſequenter, ut & nuptiæ inter neptem & avum, proneptem & proavum & ita conſequenter. In linea recta enim prohibentur nuptiæ in infinitum.

TEXTVS.

Verſ. 8. Nuditatem uxoris patris tui, ne retegito, nuditas patris tui ipſa, *ſcilicet* eſt.

COMMENTATIO.

HOc verſu prohibetur primus affinitatis gradus in linea recta, nempe ne quis cum noverca ſua concumbat. In Ebræo eſt nuditatem uxoris patris tui ne retegito. Vbi

per

per uxorem patris si verba in se spectes generaliter quidem intelligi potest, quælibet uxor patris, & quæ mater tua est, sed inpræsentiarum verba hæc continent descriptionem novercæ, & denotant uxorem patris tui matri tuæ contra distinctam, sive uxorem patris tui, quæ non simul mater tua est, sive quæ tua noverca est, nam de uxore patris tui, quæ tua etiam mater est in versu præcedente actum, & ne nuditatem matris tuæ retegas interdictum est.

Et de hoc convenit inter interpretes, quod per uxorem patris tui hic loci intelligatur noverca tua, sunt tamen, qui hunc gradum ad consanguinitatem referunt, ea forsan ducti ratione, quod noverca per patris nuptias assumta in lineam rectam, transeat cum patre in unam carnem, & liberi ex ea suscepti, tui, sint consanguinei, fratres scilicet & sorores tuæ, & quod eidem filialis reverentia a te debeatur, sed quia proprie loquendo consanguinitas est carnis propinquitas, ex generatione orta inter novercam autem & privignum talis propinquitas non intercedit, sed interventu nuptiarum, quæ inter novercam & patrem tuum intercesserunt noverca tibi propinqua facta est: accurate loquendo propinquitas hæc affinitatis potius quam consanguinitatis rationem habet, quicquid tandem sit de vocibus: rem ipsam quod attinet, convenit inter omnes, versu hoc prohiberi appropinquationem sive conjugium inter filium patris & ejus uxorem, quæ est noverca filii. Ratio prohibitionis redditur hæc: quia nuditas patris tui est; id nonnulli reddunt, quia nuditas novercæ tuæ ad patrem tuum spectat, id est patri licet eam retegere non tibi, qui es patri tuo maxime propinquus, sive qui es caro patris tui, & propterea eandem debes reverentiam novercæ tuæ quum patri tuo debes. Alii passive hæc reddunt, hoc sensu, quia nuditas patris tui est, id est quia nudata est a patre tuo, & ob reverentiam quam patri tuo & consequenter

quenter

quenter ipsi etiam debes, eandem nudare sive retegere tibi non licet. Res videtur eodem redire.

TEXTUS.

Vers. 9. Nuditatem sororis tuæ, filiæ patris tui, aut filiæ matris tuæ natæ domi, (velut alii reddunt cognationis domesticæ,) aut natæ foris, sive cognationis exteræ, ne retegito nuditatem illarum.

COMMENTATIO.

VErsu hoc prohibentur nuptiæ in primo consanguinitatis gradu lineæ collateralis, sive transversæ, quæ est (1) inter fratrem & sororem germanam, hoc est inter fratrem & sororem ex eodem patre & matre eadem natam (2) inter fratrem & sororem agnatam, id est inter fratrem & sororem ex eodem quidem patre sed non ex matre eadem natam (3) inter fratrem & sororem uterinam hoc est ex eadem matre quidem, sed non patre eodem natam. Et quidem per filiam patris natam domi significatur soror agnata, hoc est quæ nata est ex patre meo, sed ex alia uxore, quam matre mea. Per filiam vero matris intelligitur soror uterina, quæ natu est matri meæ, sed ex alio marito, quam patre meo, & hæc dicitur Soror nata foris, sive cognationis exteræ. Quod si per verba initialia nuditatem sororis tuæ intelligatur soror germana, tum omnia tria Consanguinitatis genera, sive Conjugium cum triplici sororis ordine aut genere expresse versu hoc interdicitur.

Si vero verba initialia nuditatem sororis tuæ intelligantur generaliter de sorore, quæ postea restringitur, ad filiam patris & ad filiam matris, domi aut foris natam, tum expresse hic prohibebitur, tantum conjugium inter fratrem & sororem

rem agnatam ac uterinam, implicite autem & per conſequentiam prohibentur & nuptiæ inter fratrem & ſororem germanam. Inter hos enim Conſanguinitatis vinculum arctius eſt, quippe qua ratione utriusque Parentis conjunguntur, & ſi non licitum matrimonium inter fratrem & ſororem agnatam aut uterinam, multo minus licitum erit inter fratrem & ſororem Germanam.

Sunt tamen qui exiſtimant vi ſubſequentium natæ domi aut natæ foris prohiberi non tantum matrimonium inter fratrem & ſororem agnatam aut uterinam legitimam, ſed & inter fratrem & ſororem agnatam aut uterinam ſpuriam. Sciendum ergo, quod additamentum illud natæ domi aut natæ foris duplici ſenſu ſoleat explicari, uno, ut natu domi ſic explicetur, quæ eſt cognationis paternæ, ſive quæ ex patre meo nata eſt, nata autem foris dicatur, quæ eſt cognationis exteræ, id eſt, quæ, quamvis ex matre mea in legitimo conjugio nata ſit non tamen in domo patris mei, ſed extra eam priusquam patri meo nupſerit, quæ enim non eſt paternæ cognationis, ſoror feris genita ſive cognationis exteræ dicitur eſſe. Et hoc ſenſu hactenus verba hæc interpretati ſumus communem interpretum ſententiam ſecuti, quidam vero domi natam dicunt eſſe natam in legitimo conjugio, ſed foris natam dici, quæ extra conjugium nata eſt, ſive quæ ſoror ſpuria eſt ut ſenſus hic ſit: *nuditatem ſororis tuæ filiæ patris tui aut filiæ matris tuæ, natæ domi hoc eſt legitimo conjugio genitæ, aut natæ foris, id eſt extra conjugium ex fornicatione genitæ*, ita Lyra in hunc locum interpretati ſunt, & nonnulli alii & ſane, par prohibitionis ratio eſt, qua prohibetur ne quis ſororem agnatam aut uterinam legitimam & ne eandem ſpuriam ducat in matrimonium. Carnis propinquitas etiam utrobique eadem eſt.

 TEXTUS.

TEXTVS.

Verſ.10. Nuditatem filiæ filii tui, aut filiæ filiæ tuæ ne retegito, nuditatem illarum, quia nuditas tua ipſa.

COMMENTATIO.

HOc verſu prohibetur matrimonium inter avum & neptem ex filio aut filia ſuſceptam ſive natam, qui eſt ſecundus Conſanguinitatis gradus in linea recta deſcendente. Quemadmodum autem in gradu ſecundo non licet ducere neptem ex filio aut filia natam, multo minus filiam ducere licet, quippe quæ patri propinquitate carnis arctior devincta eſt, & in primo conſanguinitatis gradu ab eo diſtat. Ratio prohibitionis & ſubjecta æque militant contra conjugium inter patrem & filiam ac inter avum & neptem. Si enim neptis ita propinque attingit avum, ut ejus nuditas moraliter reputetur ipſius avi nuditas, & qui retegendo nuditatem neptis, ita potentem rem agit, ac ſi in ſe ipſum aliquid pudendum perpetret; multo magis filiæ nuditas erit nuditas ipſius patris obſtabitque quo minus filiam ducere patri liceat, neque tantum inter avum & neptem patrem & filiam prohibetur carnalis conjunctio, ſed ſub appellatione neptis implicite continentur omnes in linea recta deſcendentes proneptis, abneptis & conſequenter, hinc regula eſt receptiſſima, *quod in linea recta cum aſcendente tum deſcendente, nuptiæ prohibeantur in infinitum*, ut ſi Adam adhuc ſupereſſet in vivis & uxorem ducturus eſſet in univerſo humano genere non inventurus ſit quam ducere ipſi liceret.

TEXTVS.

Verſ. 11. Nuditatem filiæ uxoris patris tui natæ patri tuo, vel natæ patris tui *ſcilicet ne retegi-*

retegito, ſoror tua eſt, ne retegito nuditatem ejus.

COMMENTATIO.

VErſus hic inſignem continet difficultatem & provenit difficultas ex ejus collatione cum præcedente verſu 9. nam ſi per filiam uxoris patris intelligatur filia novercæ nata patri ex noverca ſive altera ejus uxore, tum matrimonium hoc jam in præcedente verſu 9. expreſſe prohibitum eſt, quoniam prohibitum eſt ne quis retegat nuditatem ſororis ſuæ natæ patris ſui ſcilicet ex alia uxore, quæ eſt ipſa filia uxoris patris, ſive filia novercæ tuæ quam verſu 11. jam ducere prohiberis. Vero autem conſentaneum minime videtur unum eundemque gradum conſanguinitatis in tam ſuccincta & conciſa legum comprehenſione bis expreſſe prohiberi & quidem unico tantum verſu interpoſito: hinc diverſæ ortæ ſunt Interpretum ſententiæ, & *primum* quidem per uxorem patris intelligendum nonnulli exiſtimant matrem germanam, ut ſenſus hic ſit: *nuditatem filiæ uxoris patris tui natæ patris tui, id eſt nuditatem ſororis tuæ Germanæ natæ patri tuo ex matre tua nuditatem ne retegas*, ut ita verſu hoc prohibeatur conjugium inter fratrem & ſororem germanam. Verum hæc interpretatio inde habet difficultatem, quod uxor patris in Scriptoribus non ſoleat accipi pro matre germana, ſed accipiatur pro noverca, id quod ex præcedentibus verſiculis 7. & 8. inter ſe collatis liquido patet, nam verſu 7. uxor patris quæ eſt Mater germana tua, ſimpliciter vocatur mater tua, cum dicitur: *nuditatem matris tuæ ne retegito*, ſed verſu 8. cum prohiberi debet concubitus privigni cum noverca, dicitur demum differentiæ cau[illegible] *nuditatem uxoris patris tui ne retegito*, ut diſtinguatur noverca a matre germana; quamvis enim utraque ſit uxor patris ge-

neraliter loquendo, quæ tamen eſt tua mater germana, ſimpliciter mater tua dicitur, quæ autem eſt noverca tua, non mater tua ſed ſpecialiter uxor patris tui dicitur, & quia verſu 11. eadem repetitur locutio & dicitur: *nuditatem filiæ uxoris patris tui ne retegito &c.* rectius ſtatuitur, quod per uxorem patris tui intelligatur uxor ejus, quæ non eſt mater tua germana ſed noverca tua, ut ſenſus ſit: *nuditatem filiæ novercæ tuæ natæ patris tui ne retegito &c.* quia autem hoc, uti dictum, jam ante verſu 9. eſt prohibitum, ideo alii *ſecundo* per filiam novercæ tuæ intelligendam eſſe dicunt neptem novercæ tuæ, ut ſenſus ſit: *neptem uxoris patris tui, ſive novercæ tuæ ne retegito &c.* Verum hæc interpretatio ſuas habet difficultates, quamvis enim per filiam quandoque apud Hebræos neptis intelligatur, hic tamen in tam conciſa legum recenſione improprietas hæc vix admitti poteſt, præſertim cum in verſu præcedente 10. expreſſe actum ſit de nepte patris, eaque dicta ſit filia filiæ, aut filia filii, minime autem filia uxoris patris, neque facile locus in ſcripturis occurrit, ubi per filiam novercæ intelligatur neptis, ita ut ipſa dicatur filia patris, ſi vero occurrit locus, ubi neptis ex privigna patris dicatur filia uxoris patris nata patris, hoc ipſo enim, quod additur nata patris, ſignificatur, quod non ſit neptis ex privigna patris, ſicut enim privigna non eſt nata patris, ita nec neptis ex privigna dici poſſe videtur nata patris, unde *tertio* alii de prohibitione comprivignorum hæc accipiunt hoc ſenſu: *nuditatem filiæ uxoris patris tui natæ patris tui h. e. aſſumptæ cum matre in domum patris, & quæ habetur eodem loco, ac ſi eſſet nata patris, ne retegito.* Verum hæc interpretatio eandem patitur difficultatem quam prior patitur. Nam additamentum illud natæ patris tui non fruſtra adjectum eſt, ſed eſt determinatio quædam filiæ novercæ ad filiam non ex alio marito, ſed ex ipſo patre ſuo natam,

tam, præterea repugnat huic interpretationi praxis Ecclesiarum, nam matrimonium inter comprivignos in Ecclesiis ubique locorum permittitur. Hinc *quarto* quidam locum interpretatus est de comprivignis quidem non quibusvis, sed quibus adnatus est novus frater, aut nova soror adnata est, ut & vocem מולדת *natum* quam vulgo omnes passive reddunt per *natum* patris active is interpretatur, ut sit participium *Hiphil* hoc sensu: *Nuditatem filiæ uxoris patris tui i. e. novercæ tuæ parientis patri tuo, ne retegito &c.* Atque hæc interpretatio fuit *Samuelis Golii* ante annos paucos in Academia Rostochiensi Prof. Publ. qui mordicus eam defendit contra Theologos, præsertim Gutmannum Theologiæ in Academ. ead. Profess. Concedebat Golius inter comprivignos, quibus non supervenit novus frater aut nova soror, locum habere matrimonium, sed eo casu, si pater ex noverca susceperit prolem, non licere tunc comprivignos matrimonium inire, rationem positam habebat in una voce מולדת quæ sit participium Hiphil & active reddi debeat hoc sensu: nuditatem filiæ uxoris patris tui, parientis patri tuo ne retegito &c. Verum huic opinioni obstat primum quod verbum ילד quod in Conjugatione Kal de masculis & fœminis promiscue usurpatur, & gignere ac parere significat, in Conjugatione Hiphil nunquam usurpatur de fœmina, ut parere significet, sed semper gignere significat, unde quia uxori patris non convenit gignere cum hoc patris sit, res ipsa exigit, quod vox מולדת non debeat referri ad uxorem patris, & explicari de uxore patris pariente. Vnde alii existimant מוֹלֶדֶת esse participium passivum Hophal, & ו Cholem esse positum pro וּ Vau schurec ut מולדת dicatur pro מולדת & referri debeat ad voculam בת filiam hoc sensu: *nuditatem filiæ novercæ tuæ natæ patris tui, scilicet ex noverca*, & sane hujus formæ participia Hophal plura

occur-

occurrunt, ut videre est apud Buxtorff. in Thes. Gramm. Quidam vocem מולדת nomen participiale esse volunt, & reddunt per cognationem, hoc sensu: *nuditatem filiæ uxoris patris tui cognationis patris tui*, sed filiam cognationis patris sive cognationis paternæ intelligunt similiter de filia quæ est nata patris, ut distinguatur a filia cum matre quidem assumpta in domum patris, sed non cognationis paternæ, sive non nata ex patre. Videtur ergo simplicissimam esse sententiam, *quod hic prohibeatur matrimonium inter fratrem atque sororem uterinam, h.e.* vel inter fratrem & sororem agnatam, *h.e.* inter fratrem & sororem natam patri ex alia uxore, sive ex noverca, neque obstat, quod conjugium hoc etiam in præcedente versu 9. implicite fuerit prohibitum, videtur enim majoris Emphaseos causa prohibitionem eandem hic repeti & expresse poni, cum periculum esset, ne talia matrimonia in consuetudinem venirent, vel etiam, quod jam ante fuerint usu recepta, & propterea expressius prohibenda.

TEXTVS.

Vers. 12. Nuditatem sororis patris tui, sive amitæ tuæ ne revelato, caro, sive propinqua consanguinitate patris tui est.

COMMENTATIO.

HOc versu prohibetur secundus consanguinitatis gradus lineæ collateralis inæqualis, nempe qui est inter filium patris & sororem patris, Pater & Soror in primo distant gradu lineæ æqualis. Ratio prohibitionis additur, quod soror patris sit שאר אביך *caro patris tui*, h.e. prognatione carnis propinqua patris tui, est enim eodem patre tuo orta, propinquitas autem, quæ est inter sororem patris & patrem tuum, impedit, quo minus tibi matrimonium cum ipsa inire liceat.

liceat. Obſtat enim pudor & reverentia, quam ipſa ratione naturali dictitante debes ſorori patris tui, hac ipſa de cauſa, quod ſit caro patris tui, h. e. conſanguinitate propinqua patri tuo.

TEXTUS.

Verſ.13. Nuditatem Sororis matris tuæ ſive materteræ tuæ ne retegito, quia caro matris tuæ eſt, h. e. conſanguinitate propinqua eſt matris tuæ.

COMMENTATIO.

HOc verſu idem conſanguinitatis gradus prohibetur, qui præcedente verſu 12. prohibitus eſt, nempe gradus ſecundus lineæ collateralis inæqualis, tantum differunt, quod in verſu 12. prohibetur gradus ſecundus lineæ paternæ, ne ſcilicet filius patris cum ſorore patris concumbat, in verſu 13. autem prohibetur idem gradus, ſed in linea materna, ne ſcilicet filius matris in uxorem ducat ſororem matris, unde ratio prohibitionis etiam utrobique eadem eſt. Quemadmodum enim filius patris prohibetur ſororem patris in uxorem ducere propterea quod ipſa patri ejus ſit conſanguinitate propinqua, ita & filius matris prohibetur in uxorem ducere ſororem matris itidem, quod ſoror matris ſit matri conſanguinitate propinqua.

TEXTUS.

Verſ.14. Nuditatem fratris patris tui h. e. patrui tui ne retegito, ad uxorem ejus ne appropinquato, amita tua eſt.

COMMENTATIO.

VErſu hoc duplex continetur prohibitio, una prohibetur ſecundus gradus conſanguinitatis lineæ collateralis in-

æqualis, qui eſt inter filiam patris & fratrem patris, cujus prohibitionis eadem eſt ratio, quæ in duobus verſibus præcedentibus 12. ac 13. fuit, nempe ſicut filio patris vel matris non licet conjugium inire cum ſorore patris aut matris, ita nec filiæ patris conjugium inire licet cum fratre patris, ſive patruo, eſt enim eadem conſanguinitatis propinquitas, & quam reverentiam debet filius patris vel matris amitæ aut materteræ ſuæ, eam debet etiam filia patris patruo ſuo, ſive fratri patris ſui. Altera prohibitio eſt in affinitate, & prohibetur ne filius patris cum uxore patrui ſive viduæ patrui derelictæ conjugium ineat. Eſt autem eadem diſtantia inter filium patris & viduam derelictam patrui, quæ eſt inter filiam patris & patruum. Solum differentia eſt, quod prior propinquitas affinitatis eſt, poſterior conſanguinitatis. Ratio prohibitionis adjecta pertinet ad poſteriorem tantum prohibitionem, quæ eſt: *Amita tua eſt*, h. e. uxor patrui tui eſt. Quam reverentiam enim debet filius patris patruo ſuo, eam debet & uxori ejus, quæ eſt una cum ipſo caro, & ob hanc affinitatis propinquitatem non poteſt eam in uxorem ducere; quod prohibitio hæc ſit intelligenda de vidua patrui, inde patet, quod uxorem patrui non tantum filio ex fratre, ſed nemini ducere liceat, eſſet enim adulterium & raptus, alterius uxorem marito vivo ducere. Vocula דודתך deſcendit a nomine דוד, quod ſignificat alias amores; deinde transfertur ad ſignificandum patruum ſive patris fratrem ob affectum amoris, quo erga filium ex fratre affici patruus ſolet & fœmininum דודתך ſignificat uxorem patrui, quo ſignificatu hic etiam accipitur.

TEXTUS.

Verſ. 15. Nuditatem nurus Tuæ ne detegito, uxor filii tui eſt, ne retegito nuditatem ejus.

COM-

COMMENTATIO.

HOc verſu prohibetur affinitatis gradus primus lineæ directæ deſcendentis, qui eſt inter patrem & nurum, ſive uxorem filii. Quo gradu enim filius diſtat a patre in linea recta deſcendente, eo gradu diſtat etiam uxor filii a patre, quod filius patri conſanguinitate, uxor ejus autem affinitate propinqua eſt. Diſtat autem filius a patre in primo conſanguinitatis gradu lineæ rectæ deſcendentis, ergo & uxor filii hoc affinitatis gradu diſtat a ſocero ſuo, ſive patri mariti ſui vox כלה alias ſignificat ſponſam & denominatio fit a perfectione ſive conſummatione, quod ſponſa ſoleat perfecte eſſe ornata, ſive ſoleat eſſe ornatus conſummati, quia autem ſponſa filii per matrimonium fit nurus patris ejus, transfertur hinc nomen hoc ad ſignificandam nurum, quod autem nurum hic ſignificet, non ſponſam, inde patet, quod ſtatim ſubjicitur: uxor filii tui eſt. Significat ergo כלה h. l. non ſponſam ſed uxorem filii, ſive nurum. Ratio prohibitionis rurſum petitur ex propinquitate. Cum enim filius ſit caro patris ſui, h. e. propinquitate carnis maxime vicinus, & uno tantum gradu ab ipſo diſtans, ob hanc ipſam conſanguinitatis propinquitatem prohibetur pater ducere nurum, ſive uxorem filii. Eſt autem hoc ipſum etiam intelligendum de uxore filii filio emortuo relicta ſive vidua, nam cum filii adhuc vivi uxore nec patri, nec cuiquam alii rem habere licet per legem generalem de non adulterando.

TEXTUS.

Verſ. 16. Nuditatem uxoris fratris tui ne retegito, nuditas fratris tui eſt.

COMMENTATIO.

HOc verſu prohibetur affinitas in primo gradu; ſicut enim frater in primo conſanguinitatis gradu ſibi invi-

cem conjuncti sunt, ita & frater & uxor fratris in primo affinitatis gradu sibi invicem conjuncti sunt. Ratio prohibitionis redditur, quia nuditas uxoris fratris tui est nuditas fratris tui, utpote cum quo in unam carnem per matrimonium transiit, frater tuus autem est caro tua h. e. consanguinitate tibi proxime conjunctus, ob quam sanguinis propinquitatem tibi non licet retegere nuditatem uxoris ejus.

TEXTUS.

Vers.17. Nuditatem uxoris & filiæ ejus ne retegito, filiam filiæ ejus & filiam filii ejus non accipies h. e. accipito, ad retegendum ejus nuditatem. Caro ipsa, h. e. caro tua est, scelus est.

COMMENTATIO.

HOc versu prohibetur primus & secundus affinitatis gradus lineæ rectæ descendentis, ne scilicet quisquam ducat in uxorem suam privignam aut neptem ex privigna aut privigno, quando enim dicitur nuditatem uxoris & filiæ ejus ne retegito, per filiam uxoris intelligitur filia, quam uxor peperit ex alio marito, quæ est privigna mariti præsentis, neque prohibetur in *sensu copulativo*, ne ipsius uxoris etiam nuditatem retegat, hujus nuditatem enim retegere licet marito hoc ipso, quod uxor ejus est, vi primævæ institutionis, sed prohibetur tantum, ne retegat nuditatem filiæ matris quæ uxor ipsius est, & præterea prohibetur, ne etiam nuditatem retegat neptis sive filii, sive filiæ uxoris, qui est secundus gradus affinitatis in linea recta descendente, quemadmodum autem supra diximus de consanguinitate in linea recta cum ascendente, tum descendente prohiberi nuptias in infinitum, id ipsum etiam intelligendum est de affinitate in linea recta

cum

cum aſcendente tum deſcendente, unde licet ſecundus tantum gradus hic exprimatur, implicite tamen ſimul prohibiti cenſentur alii omnes gradus linea deſcendentis, quamvis expreſſe hic non habeantur.

Ratio prohibitionis redditur hæc, *quia ſunt propinquitates ipſæ* h. e. uxori tuæ propinqua eſt filia & neptis ejus, & cum uxor tecum ſit una caro, ideo tibi etiam propinquæ ſunt, unde concubitus cum illis זמה *ſcelus eſt* h. e. res ſcelerata eſt, abominanda. Vox זמה deſcendit à radice זמם cogitavit & excogitavit, quæ tamen plerumque accipitur in malam partem pro cogitavit malum, & per Metonymiam efficientis pro effectu ſignificat etiam machinatus eſt, patravit ſcelus vel malum & ſimiliter vox זמה ſignificat cogitationem malam, per Metonymiam efficientis &c. ſignificat rem patratam malam, ſcelus patratum; quo ſenſu hic accipitur.

TEXTUS.

Verſ. 18. Ad uxorem & ſororem ejus, ne accipito ad anguſtandum (ad affligendum) ad retegendum nuditatem ejus, ſuper eam in vitis ejus h. e. dum vivit.

COMMENTATIO.

Hic verſus ab interpretibus modo non uno explicatur. (1.) Enim quidam verba (ut ſonant) accipiunt & volunt prohiberi iis, ne quis ſimul duas ducat ſorores, nam verba *ad uxorem ſororem ejus ne accipito* proprie accepta hoc important, *ne quis duas accipiat ſorores, ſive ducat ſorores*; deinde quod additur: *ad affligendum*, continet rationem prohibitionis, quia ſoror ſorori ſuperinducta affligit eam, eſt enim perpetua inter ſorores rixa, quarum unus eſt maritus, ut patet exemplo conjugii Jacobi cum Rahele & Lea duabus

 ſoro-

ſororibus. (2.) Simultaneum conjugium cum duabus ſororibus prohiberi evincit inſuper additamentum *ſuper eam in vitis ejus* h. e. dum vivit prior uxor, quæ ſoror eſt, quod non videtur temere vel otioſe additum eſſe, qua interpretatione ſtante ſequetur *primo* πολυγαμίαν eſſe permiſſam, & prohiberi tantum πολυγαμίαν cum duabus vel pluribus ſororibus, *ſecundo* uxore demortua licere ejus ſororem ducere in uxorem. (3.) Id etiam inde evinceretur, quod duas ſimul ducere uxores non ſit contra *Jus Naturæ*, ſed tantum prohibeatur ob incommoda, quæ tale conjugium comitari ſolent, nempe ob rixas, & mutuas afflictiones, quibus ſorores uni & eidem marito matrimonio junctæ ſe invicem angere ſolent, ſi autem contra Jus Naturæ eſſet Conjugium cum duabus ſororibus, & concubitus cum illis inceſtuoſus, tunc non magis liceret uxori ſuperinducere ſororem dum vivit, quam eadem demortua ſororem ejus in uxorem ducere. Alii vero & cumprimis *Johannes Tarnovius* in Exercit. Biblicis verba hæc aliter explicant, & per ſororem non intelligunt proprie dictam, & ſanguinis propinquitate conjunctam uxoris ſororem, ſed quamlibet mulierem, ut ſenſus hic ſit: *Et mulierem ad uxorem ſive mulierem ad mulierem ne accipito*, ut ita ſimpliciter prohibeatur ſimultanea πολυγαμία. Quemadmodum enim ſororis voce alias in ſacris quælibet res ad alteram collata ſignificetur v. g. *Exod. XXVI. v. 3.* quinque cortinæ conjunctæ dicuntur quælibet ad ſororem ſuam, una ad alteram, ita impræſentiarum exiſtimant אשה אל־אחתה mulierem ad ſororem ſuam denotare hoc, ne alteram mulierem ad alteram & ſic duas ſimul quis in uxores ducat, cum inter plures uxores ſoleat eſſe mutua anguſtia, rixæ & contentiones; hujus interpretationis Tarnovius dicto loco rationes affert ſequentes: (1) quia jam ante per analogiam prohibitum eſt, ne quis ſuæ uxoris ſororem

rem consanguineam ducat, nam vers. 16. prohibetur, ne quis in uxorem ducat fratris uxorem, scilicet demortui filiam relictam, hoc ipso autem per analogiam etiam prohibitum est, ne quis uxoris suæ sororem ducat, cum utrobique sit par affinitatis ratio, ergo quod jam ante per Analogiam prohibitum fuit, id hoc 18. versu non denuo prohibetur. Hæc prima Tarnovii ratio est, sed ea videtur parum habere roboris, non enim sequitur, quod alibi per analogiam prohibitum est, id non denuo lege alia prohibetur expresse, nam v. g. versu 9. v. 7. prohibitum fuit conjugium inter filium & matrem, & per analogiam etiam prohibitum fuit conjugium inter patrem & filiam, cum utrobique par consanguinitatis ratio, eademque personarum distantia sit, & tamen vers. 10. prohibetur etiam expresse, ne pater in uxorem ducat filiam, 11. urget Tarnovius, quod hic prohibeantur mulieres se invicem angentes simul matrimonio jungi, tales mulieres autem non tantum sunt sorores, sed etiam aliæ quævis, inter quasvis enim mulieres, quarum unus est maritus, dantur æmulationes, rixæ & contentiones, ergo non tantum sorores, sed & quævis mulieres prohibentur simul uni jungi marito, verum hæc etiam ratio tantum in recessu non habet, quantum videri poterat habere, quamvis enim inter quasvis mulieres, quæ uni marito matrimonio junguntur, rixæ & contentiones esse soleant, majores tamen sunt inter sorores, quæ videri poterat causa esse, cur Deus prohiberet ne duas sorores quis matrimonio sibi simul jungat, utut duas alias consanguinitate sibi non conjunctas ducere permiserit. III. Ratio est, quod in primæva conjugii institutione implicite prohibita sit πολυγαμία simultanea. Necesse igitur est ut alicubi etiam expresse prohibeatur, nuspiam autem quam in hoc loco prohibetur. Recte ergo hic loci ea prohibita censetur. Verum hæc etiam non satis solida esse videtur

ratio,

ratio, si enim vel maxime in primæva conjugii institutione πολυγαμία simultanea implicite prohibeatur, quia tamen Deus jam ante Mosen eam permiserat S. Patriarchis, & suis de causis etiam post legem solenniter promulgatam permissurus Judæis, nulla sane causa erat cur in lege vel alibi expresse prohiberetur, imo si eam expresse Deus prohibuisset, permissionem ejus jam ante patribus indultam e medio sustulisset, quia ergo Deus diutius eam permittere certis de caussis voluit, nihil sane opus erat, ut lege expressa eam prohiberet. IV. Urget Tarnovius, quod h. l. illa intelligatur soror quam altera demortua in uxorem ducere licet, sed sororem consanguineam sive proprie dictam altera demortua in uxorem ducere non licet, ergo soror proprie dicta sive consanguinea hic non intelligitur, sed quævis mulier. Hæc quarta Tarnovii ratio est, sed hæc ratio non est extra controversiam posita, ut postea dicturi sumus. Prior igitur interpretatio de sorore proprie dicta Theologis est receptior, eique favet *primo*, quod phrasis hæc אשה אל־אחתה mulierem & sororem ejus de sexu fœmineo usurpata nuspiam in sacris literis adhibeatur de quibusvis fœminis, ut sensus esse possit: & mulierem unam ad alteram ne accipito, legitur quidem aliquando phrasis hæc usurpata pro eo, quod est unam ad alteram, sed non de sexu fœmineo, sed de rebus inanimatis tantum vel certe de rebus ratione carentibus, de hominibus autem & sexu hominis fœmineo nuspiam ita generaliter accepta invenitur, nec vero consentaneum est Mosen h. l. legislatoris officio fungentem, ubi cumprimis proprie loqui debebat, ea improprietate phrasin hanc adhibuisse, qua aliter nuspiam in sacris adhibita invenitur. (2) πολυγαμία non tantum permissa erat tempore promulgatæ legis, sed postea etiam in populo Israelitico concessa fuit, quin imo certo casu etiam præcepta fuit, nempe eo casu, quo frater mortu-

mortuus fuerit ſine prole, receptum fuit lege ut frater demortui fratriam fratris demortui viduam in uxorem duceret, ſi frater reſiduus jam habuit uxorem ducta fratria derelicta duas certe uxores vi legis divinæ habere debuit; Extat autem lex hæc de ducenda fratria *Deut. XXV. v. 5.* Excipit quidem *Tarnovius* caſum hunc, vel legem hanc ſpectaſſe tantum ad fratrem reſiduum cœlibem, non autem obligaſſe fratrem jam uxoratum, at vero hæc reſtrictio ad fratrem cœlibem in textu non habetur, ſed contra potius exemplo Boæ, qui uxoratus erat, & tamen vi legis allegatæ Rutham viduam Elimelech ducere obligabatur, ut *cap. IV.* libelli *Ruth* legere eſt. Tertio referri huc poteſt, quod *Deuter. XVII. v. 16.* Deus ſpecialiter prohibet, ne Rex Iſraelitarum nimium multiplicet uxores, ſed ſi πολυγαμία verbis verſiculi 18. ſimpliciter eſſet prohibita, nihil opus fuiſſet hac ſpeciali prohibitione, legibus enim *Levit. XVIII.* comprehenſis Rex Iſraelitarum æque tenebatur & obligabatur atque ſubditi. (4) Deus tradidit Davidi plures uxores, nempe uxores Domini ſui Regis Saul, ut ex poſteriori *Samuel. XII. v. 8.* legimus. Si vero πολυγαμία lege hac eſſet prohibita, ſane Deus non tradidiſſet Davidi uxores plures contra legem a ſe latam; neque eſt quod dicatur, locum illum intelligendum eſſe permiſſive, nam textus videtur arguere, quod non nuda permiſſio, qualis fuit v. g. quando permiſit, ut Salomon plures amaret uxores, & quidem alienigenas. (5) Gentes dicuntur expulſæ, quod contra has leges egerint, non tamen Iſraelitæ expulſi dicuntur terra ſua ullibi ob πολυγαμίαν, quin Jacob, cui terra Canaan promittebatur, plures habebat uxores. Hæ rationes adduci ſolent, & videntur utcunque favere interpretationi illi, quæ verba ut ſonant de duabus ſororibus accipiunt, potiſſimum tamen fundamentum præbet vocum

D pro-

proprietas, quæ in legibus hisce ubique stricte observatur, unica tamen difficultas, qua premitur hæc interpretatio, videtur in eo consistere, quod additur: in vitis ejus, sive dum vivit, qui προσδιορισμὸς videtur hoc importare, *quod uxore demortua liceat ducere sororem ejus*, si enim tantum id prohibetur, ne quis ducat uxoris suæ sororem, ad angustandum eam, dum vivit, sequi videtur, quod uxore demortua sororem ejus ducere liceat. Hic enim προσδιορισμὸς, dum vivit, videtur continere rationem prohibitionis, ne scilicet uxor per superinductam sororem ejus affligatur & angustetur, quæ ratio uxore demortua cessat. Verum responderi potest, προσδιορισμὸν hunc negare tantum tempus antecedens, non consequens ponere. Constat enim quod particulæ *donec*, *usque*, quibus respondet hic προσδιορισμὸς in vita ejus, non semper ponant tempus consequens, sed negent tantum antecedens, sicut v. g. cum de Josepho dicitur, quod non cognoverit Mariam, donec pepererit filium suum primogenitum, particula donec negat tantum tempus antecedens, h. e. negat Mariam esse a Josepho cognitam ante natum Christum, non autem ponit tempus consequens, h. e. non infert quod post natum Christum Maria a Josepho cognita fuerit. Impræsentiarum idem dici potest, nempe, verba legis: ad uxorem sororem ejus ne accipito ad angustandum eam in vita ejus, h.e. donec, vel dum vivit, sensus bene potest hic esse: *neminem debere uxore vivente sororem ejus superinducere*, non quod uxore demortua sororem ejus ducere liceat, sed tantum negatur illud antecedens, nempe uxori non superinducendam esse sororem ad angustandum eam in vita ejus, ut tamen consequens, nempe uxore demortua sororem ejus ducere licere, minime ponat. Deinde προσδιορισμὸς ille, in vita ejus, non pertinere videtur ad verbum accipito, sed ad Gerundium ad angustandum eam, hoc sensu: *uxorem ad sororem ejus ne*

accipi-

accipito ut eam in vita ejus anguſtes, affligas &c. Et ſane uxoris ſororem etiam uxore demortua non licere ducere in uxorem, patet ex præcedente verſu 16. ubi prohibitam eſt ne quis nuditatem uxoris fratris ſui retegat, eo quod ſit nuditas fratris ſui. Quæ Lex implicite & per analogiam prohibet, ne quis uxoris ſuæ ſororem ducat, eo quod nuditas ejus ſit nuditas uxoris ejus, eſt enim utrobique eadem graduum diſtantia in eodem affinitatis genere. Hunc in modum ſolet difficultas hæc communiter expediri, videtur tamen hic quandam ſubeſſe rationem dubitandi, de qua poſtea ſumus dicturi, quoniam ſcilicet de quæſtione, an perſonæ tantum, an vero gradus & graduum diſtantia præciſe legibus hiſce prohibeatur, atque hactenus hæc enumeratæ & explicatæ ſunt, quæ concernunt conſanguinitatis & affinitatis prohibitos gradus, reliquæ autem leges in eodem capite ſubjectæ non ſpectant ad materiam præſentem, de gradibus affinitatis & conſanguinitatis prohibitis, quas proinde impræſentiarum non attingemus. Duo autem huc ſpectantia ſuperſunt explicanda, VNVM concernit rationem ſupputandi conſanguinitatis & affinitatis gradus, ut, quinam permiſſi, qui prohibiti ſint, rectius cognoſci poſſit; ALTERVM concernit quæſtionem controverſam, utrum perſonæ ſaltem expreſſe nominatæ matrimonio jungi prohibeantur, an vero gradus æque diſtantes cum in Conſanguinitate, tum in Affinitate omnes prohibeantur.

Conſanguinitas dicitur perſonarum attinentia, ſive propinquitas ex generatione proveniens, ſive ex eo proveniens, quod una perſona ab altera vel ambæ ab eadem per generationem deſcendunt, ſic v. g. filius eſt conſanguinitate conjunctus patri, ſive pater & filius ſunt conſanguinei, quia filius deſcendit a patre per generationem; rurſum duo fratres vel duæ ſorores, vel frater & ſoror ſunt conſanguinei,

quia ab eadem perſona, patre ſcilicet, vel matre, vel utroque per generationem deſcendunt. Fundamentum ergo conſanguinitatis eſt generatio, ſive carnalis propagatio per generationem, & quidem conſanguinitas diſtinguitur in agnationem & cognationem. Cum enim conſanguinei deſcendant unus ab altero, vel ambo ab aliquo tertio per generationem, vel ratione utriusque parentis, vel ratione altertrius parentis tantum, patris ſcilicet vel matris, vel potius conſanguinei ſunt ſanguinis propinquitate ſibi invicem conjuncti, vel ratione lineæ paternæ, vel ratione lineæ maternæ; qui ratione lineæ paternæ, vel qui in linea paterna ſibi invicem ſanguinis propinquitate conjuncti ſunt, dicuntur agnati, v. g. fratris mei filius eſt mihi agnatus, propterea quod in linea paterna ab eadem perſona, ſive ab eodem communi ſtipite mecum deſcendat per generationem, frater enim meus, & ego ab uno deſcendimus patre, & filius fratris conſequenter ex uno ſtipite communi mecum deſcendit, eſtque mihi agnatus, ſed filius materteræ meæ, ſive ſororis meæ mihi cognatus eſt, non agnatus proprie, quia ex eodem communi ſtipite mecum deſcendit per generationem in linea materna, ambo enim ego & frater meus, ut & filius fratris mei deſcendimus ex una matre, & qui jam ex ſorore matris naſcitur, ſive filius ſive nepos, mihi & fratri meo ſanguinis propinquitate conjunctus eſt in linea materna, eſtque mihi & fratri meo, ut & filio fratris cognatus. Eſt ergo & agnatio & cognatio conſanguinitas, ut ex jam dictis patet. Porro gradus conſanguinitatis dicuntur per ſimilitudinem deſumptam a gradibus ſcalarum vel locorum proclivium, ubi de proximo gradimur in proximum: *Eſtque h. l. gradus nihil aliud, quam attinentia vel habitudo perſonarum inter ſe diſtantium, qua cognoſcitur quota agnationis vel cognationis diſtantia duæ perſonæ inter ſe differant*, ſic

v. g. ha-

v. g. habitudo distantiæ inter patrem & filium, vel inter duos fratres, vel inter patrem & ejus nepotem est & dicitur gradus, quo cognoscitur quota sit inter personas sanguinis propinquitate conjunctas distantia; ratio autem supputandi gradus consanguinitatis ut recte instituatur, ante omnia constare debet de lineis. Datur enim in *consanguinitate* duplex linea, *una recta*, & *duæ transversæ* sive collaterales. *Est autem linea h. l. nihil aliud, quam series personarum ab eadem stipite descendentium, qua continentur gradus, & personæ juxta gradus distinguuntur*, & quidem *linea recta* est *series personarum, quæ a se invicem per generationem descendunt*, habentque se ut parentes & liberi, quæ distingui solet *in descendentem* & *ascendentem*. *Descendens* dicitur series personarum, quæ nobis superiores & parentes sunt, atque a quibus originem trahimus, v. g. Pater, filius. *Ascendens* autem linea est, quando a nobis descendimus ad eas, quæ nobis superiores sunt, v. g. quando ascendo ad patrem, a patre ad avum, ab avo ad proavum &c. tunc dicitur ascendens. Vna ergo quoad rem linea est, quæ ascendens & descendens dicitur, easdem enim continet personas & gradus eosdem, sed quando initium sumimus ab iis, qui nobis superiores sunt, & ab his descendimus ad eos, quos genuerunt, tunc dicitur linea descendens; sed quando vice versa initium sumimus ab iis, qui geniti sunt, & hinc ad genitores ascendimus v. g. a filio ad patrem, a patre ad avum, ab avo ad proavum, a proavo ad atavum &c. hinc linea dicitur ascendens, e. g.

Thare est communis stipes.

Nahor	Abraham
Bethuel	Isaac
Laban	Jacob

Rebecca

Juda

Porro lineæ *transversæ* distinguuntur *in æquales* & *inæquales*. Graduum supputandi ratio alia datur in *Jure Civili*, alia in Jure Canonico. Secundum *Jus Civile* est una ratio computandi gradus cum in linea recta, tum in transversis lineis, nempe I. quæ comprehenditur hac una regula: *quot sunt generationes, tot sunt gradus.* Nova generatio enim semper novum adjicit gradum. Sed juxta *Jus Canonicum* aliter instituitur graduum computatio in linea recta cum ascendente tum descendente, aliter in lineis collateralibus. In linea recta coincidit ratio computandi gradus Juris Canonici cum ratione computandi gradus secundum Jus Civile, & valet in Jure Canonico hæc regula: *quot sunt personæ, de quibus quæritur, intermediis computatis, una vero dempta, tot sunt gradus.* Quæ regula quoad rem idem fuit, quod juxta rationem computandi gradus in Jure Civili regula prædicta dicit, nempe: quot sunt generationes, tot sunt personæ; sed in lineis collateralibus ratio supputandi gradus juxta Jus Canonicum instituenda est in ordine & respectu ad communem stipitem & in lineis æqualibus quidem. *quoto gradu personæ, de quibus quæritur, distant a communi stipite, toto gradu distant etiam inter se*, v. g. Laban & Jacob constituuntur in lineis collateralibus æqualibus, & distant inter se in tertio gradu consanguinitatis, quia in tertio gradu uterque distat a communi stipite, nempe a Thare; nam Thare genuit Nahor, Nahor genuit Bethuelem, quæ est altera generatio & secundus gradus &c. Sed juxta Jus Civile Jacob & Laban distant inter se in sexto gradu, tot enim generationes intercedunt inter Labanum & Jacobum. Porro in lineis inæqualibus, *quoto gradu distat persona remotior a communi stipite, toto gradu distant inter se juxta Jus Canonicum*, v. g. Laban & Abraham distant inter se in tertio gradu lineæ inæqualis, quia tertio gradu

distat

distat a communi stipite Laban tanquam persona remotior. Sciendum autem, quod in causis matrimonialibus ratio supputandi gradus instituenda veniat juxta rationem supputandi eos in Jure Canonico præscriptam.

Affinitas proprie *est personarum propinquitas proveniens ex nuptiis.* Dicitur a propositione ad, & nomine finis, ut affinitas dicatur, quod duæ cognationes diversæ interventu nuptiarum conjungantur, & altera quasi ad alterius fines accedat. Quemadmodum igitur consanguinitas fundatur in generatione, ita affinitas in nuptiis fundatur. Per nuptias enim cognati mariti affines affinitate conjunguntur uxori, & cognati vel agnati uxoris affinitate junguntur marito, ut & utriusque cognati junguntur etiam inter se affinitate.

Non autem omnis affinitas impedit matrimonium, nam cognati uxoris, & mariti cognati, licet inter se affinitate conjuncti sint, non tamen prohibentur matrimonio jungi. Hinc duo comprivigni possunt matrimonio jungi, v. g. filius patris potest novercæ suæ filiam ducere in uxorem, & duo fratres possunt duas ducere sorores, pater & filius possunt matrem & filiam ducere. Ratio reddi solet, quod per nuptias conjuges inter se & alterius conjugis cognati vel agnati accedunt ad fines alterius conjugis, non autem utriusque conjugis cognati inter se alteri ad aliorum fines proprie accedunt, quod illustrari solet exemplo agrorum confinium, qui non se totos & ratione omnium partium affinitate se invicem contingunt, sed tantum duæ extremitates se invicem attingentes; Affinitas ergo, quæ matrimonium impedit, non est ea, quæ inter utriusque conjugis cognatos intercedit, sed quæ intercedit inter cognatos unius conjugis cum altera conjuge ejusve descendentibus, ut postea dicetur. Porro affinitatis genera solent vulgo *tria* constitui: *Primum est*, quod contrahitur per nuptias inter cognatos vel agnatos, & agnatos unius

conju-

conjugis & alteram conjugem mediante una persona, v. g. Abraham fuit frater Nahoris, duxit autem conjugem Saram, jam inter Nahorem & Saram est affinitas primi generis. *Secundum* genus affinitatis est, quod contrahitur per nuptias mediantibus duabus personis, ut v. g. Si Abraham Sara demortua duxit Kethuram alteram uxorem, jam Saræ soror aut frater est affinis Kethuræ mediantibus duabus personis, nempe mediantibus nuptiis, quas contraxit Abraham semel cum Sara & rursum cum Kethura, & hic Saræ soror aut frater Kethuræ affinis est in secundo affinitatis genere. *Tertium* affinitatis genus dicitur, quod contrahitur per nuptias mediantibus tribus personis v. g. Saræ soror erat Abrahamo conjuncta in primo affinitatis genere, ob nuptias cum Sara celebratas, eadem erat affinitate conjuncta Kethuræ ob alteras nuptias, quas Abraham Sara demortua cum Kethura celebravit, jam si Kethura demortua Abraham tertiam duxisset uxorem, Soror Saræ esset tertiæ Abrahami uxori affinitate conjuncta in tertio affinitatis genere, quia mediantibus tribus personis ex interventu tertiarum nuptiarum affinitas hæc contracta est. Quamvis vero ita affinitatis genera distingui soleant, non tamen omnia genera affinitatis, *sed tantum primum impedit matrimonium*, unde v. g. Si Abrahamo demortuo superfuerit Kethura, poterit eam Saræ frater ducere in matrimonium, non obstante affinitate, quia affinitas, quæ inter fratrem Saræ demortuæ & Kethuram, alteram Abrahami uxorem intercedit, est affinitas secundi generis, qua frater Saræ demortuæ Kethuram attingit, non proxime per nuptias inter ipsam & suorum cognatorum quempiam immediate intercedentes, sed remote saltem ob nuptias, qui olim Saræ maritus fuit, & Kethuram intercedentes, quæ remotior affinitas conjugium inter Saræ fratrem & Kethuram impedire non potest, perinde in aliis similibus res habet.

Lineæ

Lineæ & gradus affinitatis proprie loquendo non dantur, ſed diſtantia perſonarum ratione affinitatis æſtimatur ad modum diſtantiæ perſonarum ratione conſanguinitatis, nempe affinitas fundatur in nuptiis, per quas duo conjuges tranſeunt in unam carnem, etiam conſanguinei conjugis utriusque affinitate junguntur alterutri conjugi, eo gradu eaque linea, qua conſanguinei alterius conjugis conjugi ſunt conjuncti v. g. Rebecca eſt Labani fratri ſuo conſanguinitate juncta in primo gradu lineæ collateralis; Rebecca autem nupſit Iſaaco & tranſiit cum ipſo in unam carnem, hinc Laban, qui conſanguinitate Rebeccæ conjunctus eſt in primo gradu lineæ collateralis, etiam Iſaaco conjunctus eſt affinitate in primo gradu lineæ collateralis. Porro Laban genuit Leam, & genuit etiam Rahelem duas filias, Iſaac genuit Jacobum, jam Lea eſt Iſaaco affinitate conjuncta in ſecundo gradu lineæ collateralis, & Rahel ſimiliter eſt Jacobo conjuncta in ſecundo gradu affinitatis lineæ collateralis. Ratio eſt, quia Lea & Rahel Rebeccæ matri Jacobi conſanguinitate conjunctæ ſunt in ſecundo gradu lineæ collateralis, & quemadmodum Jacob & Lea uterque a communi ſtipite æqualiter diſtat, Lea ſcilicet a Labano fratre Rebeccæ, & Jacob ab Iſaaco marito Rebeccæ, ideo Lea & Jacob, ut & Rahel & Jacob diſtant in ſecundo affinitatis gradu lineæ æqualis, ſed v. g. Lea vel Rahel, filiæ Labanis & Iſaaco marito Rebeccæ diſtant in ſecundo affinitatis lineæ inæqualis. Ratio eſt, quia Iſaac & Laban parens Lea & Rahelis diſtant in primo affinitatis gradu, Lea autem, ut & Rahel in ſecundo ab Iſaaco diſtant gradu. Quemadmodum autem in conſanguinitate, quo gradu perſona remotior diſtat a communi ſtipite, eo gradu per ſe perſonæ inter ſe, de quibus agitur, in lineis quidem collateralibus in æqualibus, ita & in affinitate quoto gradu perſona remotior diſtat ab altera in linea inæquali, eo diſtant ipſæ in-

ter se, & ita in cœteris res habet. Quod attinet ad lineas collaterales e. g. in linea recta sit maritus & uxor, quæ personæ transeunt in unam carnem, uxor autem ex priori marito in primo gradu lineæ rectæ: ratio est, quia filia uxoris matris suæ consanguinitate conjuncta est in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ, & quia mater ejus cum altero marito per nuptias transit in unam carnem, etiam filia ejus quæ est privigna alterius mariti, affinitate conjungitur cum vitrico in linea recta gradu primo affinitatis; jam porro neptis vel filia ex privigna conjungitur vitrico, sive aviæ marito affinitate itidem in linea recta & quidem in secundo gradu affinitatis, quia neptis uxoris ejus, aviæ suæ consanguinitate conjungitur in linea recta gradu secundo consanguinitatis. Ergo & marito aviæ suæ eadem affinitate conjungitur in linea recta, gradu secundo affinitatis, & sic in cœteris res habet, manetque, quod diximus, *proprie loquendo affinitatis nullas dari lineas, gradus nullos, æstimari tamen distantiam personarum ratione affinitatis ex distantia personarum ratione consanguinitatis, quibus ob intervenientes nuptias affinitate conjunguntur.* In consanguinitate enim proprie dantur gradus.

Quod attinet ad Leges Levitici XVIII. comprehensas & hactenus declaratas, prohibentur illis in affinitate primo nuptiæ *privigni cum noverca*, qui est primus affinitatis gradus lineæ rectæ ascendentis, nam noverca transiit per nuptias in unam carnem, privignus novercæ autem est filius mariti novercæ, & marito ejus conjunctus in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ ascendentis, ergo & privignus novercæ, novercæ suæ affinitate conjunctus est in linea recta ascendente gradu primo, quo gradu enim filius consanguinitate propinquus est patri suo, eo gradu & in linea etiam illa affinitate conjunctus censetur novercæ suæ. Deinde prohibentur etiam nuptiæ inter *socerum & nurum ejus, sive inter uxorem*

filii

filii & patrem filii verſ. 15. eſt autem nurus ſocero ſuo affinitate conjuncta in primo gradu lineæ rectæ deſcendentis, ratio eſt, quia maritus nurus eſt ſocero ejus conſanguinitate conjunctus gradu primæ lineæ rectæ aſcendentis. Eſt enim filius Soceri. Tertio prohibentur etiam nuptiæ *inter fratrem mariti defuncti & ejus viduam*, quam fratriam vocant *verſ. 16.* quæ eſt affinitas in gradu primo lineæ collateralis, ratio eſt, quia duo fratres conſanguinitate ſibi conjuncti ſunt in gradu primo lineæ collateralis, ergo & frater defuncti fratris, atque uxor ejus relicta ſive fratria affinitate ſibi conjunguntur, primo gradu affinitatis, lineæ collateralis. Quarto prohibentur etiam nuptiæ *inter vitricum & privignam vel neptem ex privigno vel privigna verſ. 17.* qui eſt primus vel ſecundus affinitatis gradus, nam privigna jungitur vitrico ſuo primo affinitatis gradu lineæ rectæ, ejus autem filia eidem injungitur ſecundo affinitatis gradu lineæ rectæ. Ratio eſt, quia privigna vitrici diſtat a matre ſua, quæ per nuptias tranſiit cum vitrico in unam carnem, primo conſanguinitatis gradu in linea recta, & filia privignæ vel privigni ab avia ſua diſtat in ſecundo conſanguinitatis gradu lineæ rectæ, ergo & privigna diſtat a vitrico ſuo primo affinitatis gradu, & filia privignæ diſtat ab eodem in ſecundo affinitatis gradu lineæ rectæ. Quinto prohibetur etiam *ne quis patrui ſui uxorem ſive amitam ſuam ducat. v. 14.* qui eſt affinitatis gradus ſecundus lineæ collateralis inæqualis. Ratio eſt, quia patruus a filio fratris diſtat in ſecundo conſanguinitatis gradu lineæ collateralis inæqualis, nam pater & frater ejus, ſive patruus diſtant inter ſe in gradu primo, & filius patris rurſum a patre diſtat uno gradu, a communi ſtipite autem ſive avo duobus gradibus: Ergo & uxor patrui diſtat a filio fratris mariti in ſecundo affinitatis gradu lineæ collateralis inæqualis. Sexto prohibetur etiam *ne quis uxoris ſuæ ſororem ducat, v. 18.* qui

eſt primus affinitatis gradus lineæ collateralis. Ratio eſt, quia uxor & ſoror ejus ſibi invicem conjunctæ ſunt primo conſanguinitatis gradu lineæ collateralis, ergo & maritus uxoris atque ſoror uxoris primo affinitatis gradu ſibi, & quidem lineæ collateralis invicem conjunctæ ſunt. Hi gradus expreſſi ſunt *Levitic. XVIII.*

Ratione conſanguinitatis prohibentur nuptiæ primo *inter filiam & patrem, ut & inter filium & matrem v. 7.* quæ perſonæ in primo conſanguinitatis gradu lineæ rectæ aſcendentis ſibi invicem conjunctæ ſunt. Ratio eſt, quia in linea recta, quot ſunt generationes, tot ſunt gradus, ſed inter filiam & patrem ejus ut & inter filium & matrem ejus una tantum intercedit generatio; Ergo filia diſtat a patre & filius a matre uno tantum gradu. Deinde prohibentur etiam nuptiæ *inter fratrem & ſororem cum germanam tum uterinam v. 9.* quæ perſonæ etiam primo conſanguinitatis gradu ſibi invicem conjunctæ ſunt, ſed lineæ collateralis, ratio eſt, quia frater & ſoror non ducunt a ſe invicem originem per generationem, ſed ambo ducunt originem ab uno communi ſtipite, uno ſcilicet parente, ſive patre, ſive matre, ſive patre & matre ſimul; Ergo conſanguinei ſunt in linea collaterali, & quia a communi ſtipite utraque perſona uno diſtat tantum gradu, ideo etiam uno conſanguinitatis gradu perſonæ duæ in lineis collateralibus diſtant a communi ſtipite eo gradu diſtant etiam inter ſe. Tertio prohibentur etiam nuptiæ *inter avum & neptem ejus, ſive ex filio ſive ex filia v. 10.* Quæ perſonæ diſtant in ſecundo conſanguinitatis gradu lineæ rectæ deſcendentis. Ratio eſt, quia neptis deſcendit per generationem ab avo non quidem immediate, ſed mediante ejus filio aut filia, quæ autem perſonæ habent ſe ut generans & genita, illæ ſunt conſanguineæ in linea recta, & quia inter avum & neptem ejus duæ interveniunt generationes, neptis

autem

autem genita eſt a patre ſuo, vel ex matre ſua, & pater aut mater ejus genitus vel genita eſt ab avo, quot autem ſunt generationes tot ſunt gradus in linea recta. Quarto prohibentur etiam ſpeciatim *nuptiæ inter fratrem & ſororem uterinam, v. 11.* juxta communiorem ſententiam, quæ perſonæ rurſum in conſanguinitatis primo gradu ſibi invicem ſunt conjunctæ, ſed in lineis collateralibus ob rationem jam allatam cum de prohibitione nuptiarum inter patrem & ſororem ageremus. Quinto prohibetur etiam *ne quis ducat ſororem patris ſui ſive amitam ſuam, v. 12.* qui rurſum eſt conſanguinitatis gradus ſecundus lineæ collateralis inæqualis. Ratio eſt, quia filius patris & ſoror patris a communi ſtipite diſtant in ſecundo gradu, nam licet ſoror patris uno tantum gradu diſtet a communi ſtipite ſuo, & fratris ſui parente, quia tamen filius patris tanquam pars in altera linea collaterali tanquam remotior pars a communi ſtipite duobus diſtat gradibus, ideo etiam filius patris & ſoror patris in ſecundo conſanguinitatis gradu lineæ inæqualis diſtant juxta regulam Juris Canonici *quo gradu conſanguinitatis perſona remotior a communi ſtipite diſtat, eo gradu diſtant inter ſe perſonæ, de quarum conſanguinitate quæritur.* Sexto prohibetur etiam, *ne quis materteram ſuam ſive ſororem matris ſuæ ducat in uxorem, v. 13.* qui rurſum eſt ſecundus conſanguinitatis gradus lineæ collateralis inæqualis ob rationem jam adductam, quamvis enim matertera, quæ cum matre in linea collaterali conſtituitur, a communi ſtipite uno tantum gradu diſtet, filius tamen matris in altera linea diſtat a communi ſtipite duobus gradibus, in linea collaterali autem inæquali militat regula, jam adducta, quo gradu perſona remotior diſtat a communi ſtipite, eo gradu diſtant etiam perſonæ inter ſe, de quarum diſtantia quæritur. Septimo prohibetur etiam, *ne filia patris nubat fratri patris, ſive patruo ſuo, verſ. 14.* qui

rursum est consanguinitatis gradus secundus lineæ collateralis inæqualis, ob rationem jam adductam, quia filia patris distat a communi stipite duobus consanguinitatis gradibus; Ergo distat etiam a patruo suo, qui in altera linea collaterali constituitur duobus gradibus non obstante, quod patruus uno tantum gradu a communi stipite distet. Atque hi sunt consanguinitatis & affinitatis gradus, qui *Levit. XVIII. nominatim & expresse* prohibentur. Vtrum vero hi soli in gradibus lege divina prohibitis habendi sunt, an vero pari ratione per analogiam & per consequentiam prohibiti dicendi sint alii omnes gradus quorum par est distantia & habitudo, licet personæ distantes hic nominatim non sint expressæ, illud vero est, quod in quæstionem & controversiam venit.

Posterius Theologi affirmant communiter, docentque legibus *Levitici XVIII.* comprehensis non tantum prohiberi nuptias inter personas quæ nominatim exprimuntur, sed etiam inter personas alias quasvis, quarum par ratio distantiæ est, sive quæ iisdem consanguinitatis sive affinitatis gradibus sibi invicem conjunctæ sunt. Nituntur autem *primum* ratione ex *Levit. XVIII. v. 6.* petita, quæ est: *Nemo quisquam ad ullam propinquam* carnis suæ appropinquet ad revelandum nuditatem ejus. Verba in textu Hebræo ad literam habent *vir vir* h. e. quilibet *ad omnem carnem carnis suæ non appropinquabit*, ne appropinquato ad retegendam nuditatem ejus, quæ verba continent fundamentum generale omnium prohibitionum specialium, nempe quia non licet appropinquare ad carnem carnis suæ, h. e. ad ullam consanguinitate sibi proxime conjunctam, ideo non licet v. g. patri ut ducat in uxorem filiam, aut matri, ut nubat filio, inter quas ergo personas datur propinquitas carnis, sive proxima consanguinitas, illæ utique vi hujus legis generalis prohibentur matrimonio jungi, licet expresse legibus specialibus non

sint

sint prohibitæ. Quamvis vero fundamentum hoc generale vi verborum pertineat ad personas consanguinitate sibi proxime junctas, consequenter tamen recte transfertur etiam ad personas affinitate sibi conjunctas, ut, quæ Personæ ob consanguinitatem prohibentur inire matrimonium, illæ etiam in affinitate, si gradibus iisdem distent, prohibitæ recte censeantur, ut patet inductione exemplorum: nam sicuti vi hujus fundamenti generalis *v. 7.* prohibetur filia, ne cum patre ineat matrimonium, & filius ne cum matre matrimonium ineat ob consanguinitatem proximam, ita *v. 8.* prohibetur, ne privignus cum noverca ineat matrimonium, quod eodem affinitatis gradu personæ hæ sibi invicem conjunctæ sint, quo filius & mater ratione consanguinitatis sibi sunt conjuncti, & ita in cœteris. Vbicunque ergo ea datur personarum habitudo, ut altera ad alteram ut caro carnis suæ se habeat, vel ratione affinitatis altera ad alteram eodem gradu se habeat, qua ratione consanguinitatis sese duæ personæ habent, quarum altera est caro carnis alterius, eæ de jure divino prohibitæ censentur, sive exprimantur in legibus specialibus sive non exprimantur. *Secundo* urgent, quod inter quas personas par habitudo est, inter eas etiam valeat jus, eademque prohibitio, sed personæ inter quas par est habitudo, & eadem graduum distantia, sive ratione consanguinitatis, sive ratione affinitatis, illæ etiam matrimonio jungi pariter prohiberi æstimandæ sunt, sive expresse prohibeantur, sive non. Vbi enim eadem legis ratio est, ibi lex eadem & jus idem militat. *Tertio* idem probant ex consequente absurdo. Si enim personæ tantum illæ quarum expresse mentio fit *Levit. XVIII.* prohibentur matrimonium inire, non autem aliæ, quarum par ad se invicem est habitudo, sequeretur quod in linea recta concedendæ sint nuptiæ inter nepotem & aviam, hæ enim personæ in citato *Levit. XVIII.* capite non expresse prohibentur matrimonium

nium

nium inire: concedendæ etiam essent nuptiæ inter avum & proneptem, harum enim etiam personarum nulla fit expressa mentio in citato *cap. XVIII. Lev.* Similiter ratione affinitatis in linea recta concedendæ essent nuptiæ inter privignum & novercam, nam hæ etiam personæ non prohibentur expresse matrimonio jungi, sed nuptias hasce esse de jure divino & naturali concessas nemo dixerit, sed contra in linea recta tum ascendente tum descendente admittitur ab omnibus regula receptissima, quod nuptiæ in hac quidem linea prohibeantur in infinitum, similiter in lineis collateralibus concedendæ essent nuptiæ inter fratrem & sororem germanam, inter filiam sororis & avunculum, cum hæ etiam personæ non expresse prohibeantur matrimonio jungi.

Oppositam tamen sententiam amplectuntur *Judæi*, & ex parte etiam inter Christianos *Pontificii*, ac *nonnulli alii*, rationes quibus nituntur potiores sunt: *Primo* quod Moysis tempore graduum consanguinitatis & affinitatis computatio, quæ hodie in usu est, fuerit ignota, non ergo vero consentaneum videtur, Moysen vel Deum per Moysen leges hasce prohibitorias ferentem respexisse ad paritatem graduum, sed contra potius vero consentaneum videtur Deum voluisse prohibitas nuptias inter personas expresse positas, & inter alias non expressas voluisse nuptias esse permissas. *Secundo*, quia in *cap. XVIII. Lev.* exprimuntur prohibenturque expresse quædam personæ matrimonio jungi, quæ jam ante per Analogiam prohibitæ fuerunt ob paritatem graduum inter eas intercedentium, v. g. prohibetur expresse, ne quis ducat uxoris sororem, & prohibetur etiam, ne quis ducat fratriam suam, sive fratris sui demortui viduam relictam; si autem Deus in legibus hisce præcise respexisset ad gradus affinitatis, non ad personas tantum, tunc nihil opus fuisset duplici lege, sed sufficere potuisset, si prohibitæ fuissent nuptiæ vel inter

fratrem

fratrem ac fratriam vel inter maritum & uxoris sororem, cum sub una prohibitione implicite & per analogiam etiam altera contineatur. Sic prohibetur etiam expresse, ne quis ducat in uxorem amitam suam, sive sororem matris suæ, ubi cum par sit habitudo consanguinitatis, rursum nil opus fuisset duplici prohibitione, si præcise ad habitudinem personarum & gradus consanguinitatis, non autem ad personas tantum Deus respexisset, sub alterutra enim prohibitione contineretur altera implicite, & nihil opus fuerit altera prohibitione expressa.

Sane posterior sententia ita nude & crude admittenda esse non videtur, sed contra statuendum esse existimamus, leges *Levit. XVIII.* comprehensas porrigere sese longius, quam ad eas personas, quæ nominatim iis expressæ sunt, & prohiberi per analogiam etiam quasdam alias personas nominatim non expressas, iisdem tamen gradibus inter se distantes, matrimonio jungi, idque evincunt exempla ad confirmationem sententiæ prioris adducta, v. g. nuptiæ inter nepotem & aviam, & inter avum & proneptem citra dubium de Jure Naturæ prohibitæ sunt, & in *Lev. cap. XVIII. v. 7.* & *10.* haud dubie implicite prohibentur, dum prohibetur ne patris sui nuditatem filia, aut matris suæ nuditatem filius, vel neptis suæ nuditatem avus retegat. Est enim par prohibitionis ratio. Vt enim filia patris, & filius matris nuditatem retegere prohibetur ob propinquitatem sanguinis & hinc natam reverentiam, quam liberi parentibus debent, ita avus & neptis non tantum sed etiam, proneptis nuditatem retegere prohibetur, cum proneptis nuditas æque sit nuditas proavi, atque neptis nuditas avi nuditas est, & utrobique naturalis verecundia & pudor commixtionem prohibeat. Perinde res habet cum privigno & sua noverca ac pronoverca; quia enim noverca per nuptias cum patre privigni in unam coaluit carnem, na-

turalis reverentia, quam debet privignus novercæ ob conjunctionem cum patre in unam carnem, commixtionem prohibet, ita prohibet etiam inter privignum & pronovercam, cui parem debet reverentiam ob propinquitatem sanguinis cum noverca proximam. Et quemadmodum *verf. 14. cap. XVIII. Lev.* prohibentur nuptiæ inter filiam patris & fratrem ejus, sive avunculum illius ob sanguinis propinquitatem, ita implicite & per analogiam simul prohibentur nuptiæ inter filiam sororis & avunculum, sive fratrem matris ejus, est enim non tantum æqualis personarum distantia, & par consanguinitatis ratio, sed etiam par ratio prohibitionis. Vt enim frater patris mei sorori meæ æque ac mihi loco parentis est, ita naturalis verecundia & reverentia, quam Soror mea parentis fratri debet, prohibet commixtionem cum illo, & simpliciter sororis filia matris meæ vel patris mei eandem debet reverentiam fratri ejus, & prohibet similiter sanguinis propinquitas, & hinc naturalis reverentia ac verecundia prohibet inter has etiam personas carnalem commixtionem. Nec obstat, quod ratio computandi gradus cum consanguinitatis tum affinitatis, quæ hodie in usu est, Moysis tempore forsan in usu aut cognita non fuerit, ipsa res tamen, nempe naturalis personarum propinquitas, sive in generatione, sive in nuptiis fundata, extitit, & lumine naturæ edocti sunt homines omni tempore inter quas personas par vel dispar sit consanguinitatis aut affinitatis ratio, aut habitudo, v. g. in consanguinitate eandem esse rationem consanguinitatis inter filiam meam & fratrem meum, quæ est inter filium meum & sororem meam, & contra eandem esse habitudinem & propinquitatem sanguinis inter filiam sororis meæ & me, aut inter filium sororis meæ & aliam meam sororem, unde ibi cognitum fuit, nuptias de Jure divino esse prohibitas, v. g. inter fratrem & fratris filiam, hoc ipso nosse potuit, quod prohibitæ sint nuptiæ inter sororem

rem & fratris filium, præsertim cum ipsa natura insita verecundia non minus ab una commixtione abhorrere faciat, quam ab altera, unde ratio supputandi gradus consanguinitatis non tantum in naturali generatione fundata est, sed etiam naturæ lumen facem quasi præfert ad eos numerandos & computandos. Hinc videmus quod apud gentiles etiam solo luminis naturæ ductu ejusmodi commixtiones carnales fuerint prohibitæ, ut patet exemplo Juris Civilis, in quo iidem gradus consanguinitatis, quos lex Mosaica prohibet prohibentur. Alia specialia exempla apud varias gentes apud Gerhardum & alios producta inveniuntur.

Neque secundo obstat, quod *cap. XVIII. Lev.* personæ quædam matrimonium inire expresse prohibentur, quarum commixtio, jam ante per analogiam prohibita fuit, hoc enim certis de causis bene potuit fieri, ut tamen aliæ personæ nominatim non expressæ in aliis legibus per analogiam & implicite prohibeantur. Quod enim quarundam personarum conjunctio carnalis, quæ jam ante per analogiam prohibita fuerat, etiam expresse prohibetur, causa esse potuit (1.) major perspicuitas, ut omnis obscuritas aut ratio dubitandi removeretur, potuerunt etiam quædam speciales subesse causæ, vel (2) quod talia matrimonia sive apud Israelitas, sive apud Cananæos fuerint in usu, & ne in consequentiam traherentur, expressa prohibitione indigerent, v. g. Loti filiæ concubuerunt cum patre, quæ commixtio ne forte a quopiam in exemplum traheretur, prohibenda expresse fuit, non obstante, quod jam implicite etiam, & per analogiam prohibita sit in nuptiis inter filium & matrem prohibitis.

Vtrum vero omnes plane æqualiter distantes gradus per analogiam prohibiti sint legibus *Lev. XVIII.* comprehensis, dubitari a quibusdam solet; quamvis enim in *v. 6.* citati *cap. XVIII. Lev.* fundamentum prohibitionis generale con-

stituatur

stituatur in propinquitate carnis, videtur tamen esse id intelligendum de propinquitate, quæ naturalem quandam verecundiam & pudorem a commixtione carnali suapte natura abhorrentem inducit, cujusmodi est in linea recta inter parentes & liberos illorum, & qui illis in linea ascendente & descendente conjuncti sunt, & in collaterali linea inter fratrem & sororem, & inter avunculum & sororis filiam, vel inter sororem & fratris filium intercedere concedi solet, in affinitate etiam conceditur, talem esse propinquitatem inter novercam & privignum, pronovercam & privigni filium, item in linea collaterali inter fratrem & fratris uxorem, sive viduam relictam, inter viduam & uxoris demortuæ sororem, quamvis de his ultimis affinitatis gradibus etiam nonnulli disputent, & in contrariam abeant sententiam, utut nuptiæ inter fratrem & fratris uxorem cap. XVIII. Lev. expresse prohibitæ sint. Sunt tamen, qui legem hanc non moralem, sed positivam esse contendunt.

In linea autem collaterali inæquali affinitatem nuptias nec de Jure divino, nec de Jure naturæ impedire, nonnulli existimant; utut enim uxoris demortuæ sororem, aut fratris demortui viduam ducere contra naturalem verecundiam sit, ob consanguinitatem proximam, quæ inter uxorem, cum qua in unam coaluisti carnem ejusque sororem, & inter fratrem tuum cum quo uxor ejus una caro facta est, & te intercedit, non tamen par ratio esse putatur sororis filiæ aut neptis uxoris tuæ, aut filiæ uxoris fratris aut neptis ejus, cum hæc affinitas videatur esse remotior, quam quæ suapte natura verecundiam a nuptiis abhorrentem inducere possit, unde existimant de Jure divino & naturæ licere, ut quis filiam aut neptem ex sorore uxoris suæ aut ex fratre ejus ducat, vel ut quæpiam marito sororis maternæ aut fraternæ nubat, cum nec expresse id prohibitum sit in Jure divino, neque etiam implicite & per analogiam, cum tanta uti dictum, propinquitas personarum non sit, ut suapte natura verecundiam a nuptiis abhorrentem inducere possit.

Alii tamen contrarium defendunt, & dicunt esse in his etiam gradibus parem affinitatis & consanguinitatis rationem. Intercedit enim hic etiam parentum & liberorum respectus quidam, qui natura verecundiam a commixtione carnali abhorrentem inducere videtur, quemadmodum enim filiæ patris tui aut sororis tuæ loco parentis est ob consanguinitatem, cum proxime distes a communi stipite, ex quo & frater tuus, & soror tua orti estis, ita filiæ uxoris tuæ es loco parentis ob conjunctionem cum uxore tua in carnem unam, quæ ei (nempe filiæ uxoris) pari ratione matris loco fuit ob consanguinitatem, qua tu filiæ sororis aut filiæ fratris tui loco parentis es.

Res sane difficilis est, & utraque sententia suos habet propugnatores, posterior tamen Theologis communiter recepta est, quam etiam praxis communis Ecclesiarum nostrarum, quæ nihil discriminis inter consanguineos & affines hoc quidem in passu vulgo vel communiter admittere solet, unde cum res integra adhuc est, videtur tutius esse, ut personis in prædicto affinitatis gradu sibi conjunctis nuptiæ non permittantur, quod si vero contigerit, ut tales consumentur nuptiæ, existimamus (quanquam & hic alii notæ non infimæ viri aliter sentiant) consummatas non esse ob prædictam propinquitatis affinitatem dissolvendas, non enim prohibitiones omnes, uti nuptias contrahere impediunt, ita contractas & consummatas non statim dissolvunt: Suntque rationes in promptu, quæ tale conjugium, ubi consummatum fuerit, dissolvendum non esse suadeant, utut contrahendum impediri posse, concedatur, qua de re alibi.